

P. VERGILI MARONIS CARMINA.

LL
V816T Virgil

P. VERGILI MARONIS

C A R M I N A

EDIDIT

GEORGIUS THILO.

EDITIO STEREOTYPA.

EX OFFICINA BERNHARDI TAVCHNITZ.

LIPSIAE MDCCCLXXXVI.

7765

18/11/14

&

DE VITA CARMINIBUSQUE VERGILII PROLUSIO.

De rebus et consiliis Vergilii, quem propter valetudinis infirmitatem et naturalem quendam pudorem non solum rei publicae lucem, sed etiam urbem hominumque congressus fugisse constat, non multa narrari potuisse facile intellegitur, sunt tamen in eius vita, quae pluribus et certioribus veterum testimoniiis inlustrata velimus, veluti quos praeceptores adulescens habuerit, cum amicis quo usu coniunctus fuerit, quae ei anno 713 acciderint, quo anno Mantuanorum agri divisi sunt, quibus locis et quam diu quoque moratus sit, quae itinera susceperit. de eius modi rebus quod nec satis plena nec satis certa accepimus, non est amicorum et familiarium, quos 'de ingenio moribusque' eius scripsisse Gellius (XVII 10, 2) testatur, incuriae imputandum. nam cum etiam de levioribus quibusdam rebus testimonia fide dignissima extant, illi de vita quoque poetae quicquid memorabile videbatur, diligenter collegisse putandi sunt. sed temporum iniquitate ipsi eorum commentarii perierunt, periit etiam Asconii Pediani contra obtrectatores Vergilii liber, quem acerimo veri quaerendi studio scriptum fuisse Danielini interpretis (buc. IV 11) et Suetonii (p. 57, 5 Reiffersch.) testimoniiis ostenditur. nam vitam ab Aelio Donato commentariis in carmina Vergilii scriptis praemissam prope totam Suetonii esse et e libro de poetis sublata, hodie consentiunt inter se viri docti¹. Suetonius autem cum opti-

mis auctoribus se usum esse profiteatur² et ipse propter fidem et diligentiam merito ab omnibus probetur, ab eius auctoritate nisi gravissimis dubitationibus coacti non debemus recedere. ad supplendam Suetonii narrationem, quae ad carminum memoriam magis quam ad res poetae pertinet, in primis adhibenda sunt ea scholia, quae Servianis adiuncta primus edidit Petrus Daniel. quorum cum magna pars ex antiquissimorum interpretum commentariis sumpta sit³, ex illis quoque, quae ad carmina quibus suas res Vergilius tetigit, adscripta sunt, quaedam ad amicorum familiariumque commentationes et ad Asconii librum, qui non semel laudatur, referenda esse probabiliter conicitur. in georgicis ad Danielina scholia et vetustate et dignitate proxime illa accedunt, quae Fulvius Ursinus e codice Vaticano 3317 edidit et sine idonea causa Philargyrio tribuit⁴. contra Servianis cum magna cautione utendum est. in vitam quidem Aeneidos commentario praefixam pleraque ex Suetonii narratione, quam suam Donatus fecerat, translata esse apparet: sed et falsa admixta sunt (veluti Neapoli studuisse Vergilium; bello inter Antonium et Augustum orto effectum esse, ut agri Cremonensium veteranis distribuerentur; poetae agris spoliata una cum Polione Maecenatem succurrisse) et corrupta Suetonii testimonia, qui non dixit, proposuisse bucolica Polionem, Maecena-

² cf. p. 57, 5; p. 59, 12 sqq. conl. Quint. X 3, 8 et Gell. XVII 10, 2; p. 61, 5 sqq.; p. 62, 6; p. 64, 12; p. 66, 2.

³ cf. quae in praefatione ad Servium p. XIX sqq. et XXXII sqq. exposui.

⁴ cf. Rhein. Mus. XV p. 135 sqq.

¹ cf. Ioh. Fr. Gronovii ad vitam P. Vergilii Maronis notae in Burmanniano Vergilii exemplari I, I sqq. editae et Reifferscheidii quaest. Suetonianae p. 400 sqq.

tem georgica, Augustum Aeneida, neque Varium et Tuccam a Caesare in edenda Aeneide superflua demere iussos esse tradidit. item in scholiis de rebus Vergilii et carminum fati haud pauca inveniuntur, de quorum fide iure dubitetur: quamquam quaedam ita comparata sunt, ut iis veri aliquid subesse conicias, quod tamen ineptis inferioris aetatis inventis adeo obrutum sit, ut non possit certo recuperari. nimirum Servius quoque saeculi illius superstitione et vaniloquentia imbutus erat. accedit quod neque ipsas res gestas Romanorum neque annos earum satis cognoverat, veluti de civilium bellorum temporibus turpiter erravit. in Bernensibus ad bucolica et georgica scholiis de vita scriptisque Vergilii nihil fere extat quod non a Danielis interpretibus quoque aut a Servio commemoratum sit. quae in Probi qui vocatur commentario ad res poetae enarrandas spectant prope omnia abiicienda sunt: nam infima aetate hominem imperitum multa a malis, paucissima a bonis auctoribus accepta memoriter litteris mandasse manifestum est: quae de agrorum divisione in bucolicorum praefatione prodidit propter temporum errores etiam Servianis deteriora sunt⁵. Phocae carmen totum a Suetonii vel Donati narratione pendet: neque Bernensis quae vocatur vita, aut illa quam nuper M. Petschenig (Wien. Stud. IV p. 168 sq.) e codice quodam S. Pauli in Karinthia edidit, quidquam propriae virtutis habet. inter recentiores Vergilianae vitae commentarios Ottonis Ribbeckii narrationem minori carminum editioni praemisam et Eugenii Benoist 'notice sur Virgile' (I² p. LXXXV sqq.) commemorasse satis est: ille enim veterum de rebus et scriptis Ver-

gili testimonio diligentissime persequutus est, alter artem poetae subtilissime descripsit.

Natus est P. Vergilius Maro Idibus Octobribus anni 684/70 Cn. Pompeio Magno M. Licinio Crasso consulibus Andibus, in pago Mantuano: unde 'Mantua me genuit' est in epitaphio quod ipse composuisse fertur, et Mantuani poetam suum vindicant. Vergilius Maro pater, 'quem', ut ait Suetonius (p. 54, 8 R.), 'quidam opificem figulum, plures Magi cuiusdam viatoris initio mercennarium, mox ob industriam generum fuisse tradunt,' pecuaria re et apiaria facta rem familiarem adeo auxit, ut haberet unde filium liberaliter educaret. mater fuit Magia⁶. anno aetatis duodecimo (696/58) Vergilius a patre Cremonam deductus est, ubi litterarum elementa disceret⁷. tribus annis post (699/55) natali die toga virili sumpta Mediolanum, inde Romam se contulit. ibi oratoriae arti⁸ iisque litteris, quas grammatici profitebantur, operam dedit. sed rhetorum vanis artificibus, superba doctrinae ostentatione grammaticorum deterritus, at incensus philosophiae naturaliumque rerum studio ad Sironem Epicureum se ad-

6 Magiam Pollam appellant Probus (p. 1, 2 K.) et Phocas v. 11.

7 cf. Hieronymus Ol. 180, 3. (Suet. rel. Reiff. p. 43, 7).

8 Summis eloquentiae doctoribus vacasse Vergilium Probus (p. 1, 4 K.) narravit, studuisse eum apud Epidium oratorem cum Caesare Augusto, Bernensis vitae auctor testatus est. quod haud scio an inferiori aetate inventum sit, ut Vergilius iam adulescens eum Octaviano aliquo vinculo coniunctus fuisse videretur. nam Octavianus septem annis post Vergilium natus est. deinde Suetonius (p. 124, 9 sq. R.) inter discipulos Epidii M. Antonium et Augustum commemorat, non commemorat Vergilium. denique suspicionem movet quod posterioris aetatis grammatici alios quoque viros, qui Vergilio in discrimen adducto subvenerunt, eius condiscipulos fuisse prodiderunt. veluti Servius (buc. VI 13) Alfenum Varum una cum poeta Sironem docentem audivisse narrat, quod propter Epicureorum quaedam praecepta quae in sexta ecloga ad Varum missa proferuntur, fictum esse videtur. Cornelium Gallum Probus (p. 6, 1 K.) Vergilii condiscipulum appellat.

5 Haec quae de vita Probi et de praefationis partibus quibusdam dixi cavendum est ne ad reliquam quoque praefationem aut ad ipsa scholia referantur: quae etsi nihil fere habent quod Berytii esse videatur, tamen ex antiquorum interpretum libris deprompta sunt.

plicavit⁹, cuius doctrinae magnatum erat apud Romanos opinio. in medicorum¹⁰ quoque mathematicorumque disciplinis eum diligenter versatum esse Suetonius tradidit.

Poeticam facultatem iam puer ostendisse dicitur Vergilius; ea enim aetate in Balistam latronem epigramma factum esse Suetonius testatur. idem sedecim annos natum poetam Culicem carmen scripsisse narrat et Catalepton, Priapia, Epigrammata, Diras, Cirin ita commemorat, ut illius aetatis homines ea carmina sine dubitatione Vergilio tribuisse et putasse videantur, omnia ante Bucolicorum librum edita esse. hodie Catalepton IX(XI), Diras, Cirin Vergilii non esse consentiunt viri docti, neque dubitatur quin Epigrammata eadem sint quae Catalepton carmina¹¹. de Culice sunt qui veterum testimonia vera esse sibi persuaserint, sed rectius iudicare videntur qui languidissimum omnisque poetici vigoris expers opusculum a Vergilii ingenio alienum esse dicunt¹². Aetna cuius auctoris esset suis temporibus dubitatum esse refert Suetonius, nunc Lucilio, Senecae amico, tribui solet. Copa, quam unus Servius Vergilio adscripsit, in eum librum, quo minora quae poetae esse credebantur carmina comprehensa sunt, recepta est. in eodem invenitur Moretum, quod Vergilio non potest alio testimonio vindicari¹³.

Epicum carmen, quo res Romanae narrarentur, a Vergilio iuvene inchoatum esse boni auctores prodiderunt, Suetonius (p. 58, 20 R.) et Danielinus interpres ad buc. VI 5. ac videtur profecto sextae eclogae

versibus 3 sq. ipse poeta id consilium professus esse idemque indicasse, cur mutatum sit: scilicet, ut interpretis illius verbis utar, 'considerata aetatis et ingenii qualitate.' idem fortasse Suetonius voluit, cum eum materia offensus esse dixit, quod testimonium inferiore aetate eo detortum est, ut Servius ad buc. VI 3 haec adscripserit 'et significat aut Aeneidem aut gesta regum Albanorum, quae coepta omisit nominum asperitate deterritus.'

Ad pastoricia carmina scribenda Polionis auctoritate se accessisse Vergilius buc. VIII 11 sq. significavit, quibus ab eo petivit, ut carmina ipsius iussis coepta benigne acciperet. at idem VI 5 a Phoebos se monitum esse dicit, pastorem deductum carmen dicere oportere. itaque cum poeta et ingenii et studiorum ratione habita sua se sponte ad bucolicum genus convertisset, Polionis maxime consilii et praeceptis videtur effectum esse, ut teneret institutum et Theocriti versus primus Latio ostenderet. sed ad edenda bucolica antequam aggrederetur, hominem accuratissima diligentia insignem Graecorum exemplis imitandis stilum exercuisse artisque specimina idoneorum iudicum existimationi subiecisse probabile est. ad ea studia haud scio an recte Ribbeckius nonae eclogae versus 22—25 et 39—43 rettulerit. ipsas illas eclogas quae hodie supersunt Asconius Pedianus a Probo laudatus Vergilium XXVIII annos natum, i. e. post Idus Octobres anni 712/42 edere coepisse testatur¹⁴. quod testimonium

9 cf. catal. V (VII), Serv. buc. VI 11 et 13. Aen. VI 264.

10 cf. Macrob. Sat. V 2, 15.

11 Parum severos versus se iuvenem fecisse Vergilius ipse fatetur catal. V (VII) 11—14. cf. Plinii epist. V 3, 6.

12 Qui Culicem scripsit Aeneida legisse videtur. cf. Cul. 332 et Aen. XI 263, Cul. 355 et Aen. XI 260.

13 De his carminibus in quarta Teuffeliae litterarum Latinarum historiae editione p. 464—470 plenissime et rectissime disputatum est.

14 cf. Probus p. 7, 6 K. 'nec mirandum, quod infra se senem dicit, cum certum sit eum, ut Asconius Pedianus dicit, XXVIII' (sic Monacensis quoque a me primum conlatus) 'annos natum Bucolica edidisse.' nihil invenio cur Asconio appellato fallere voluisse dicatur interpres: quamquam illud parum accurate fecit quod Asconium testatum esse dixit, edidisse ea aetate bucolica Vergilium; nam edi coepta esse ea carmina accepisse videtur. quod in vita Probi legitur (p. 1, 12) 'scripsit Bucolica annos natus VIII et XX' ad Servium referendum

cum temporum indicibus, quae in ipsis carminibus insunt, num congruat, iam video quaerendum esse.

Atque primam eelogam et nonam anni 713/41 esse constat: eo enim anno Cremonensium et Mantuanorum agri inter veteranos milites distributi sunt. ante nonam autem eelogam non potest non scripta esse quinta, cuius ad versum 40 aperte spectant nonae versus 19 et 20. accedit quod 'hordea' pluralem a Vergilio V 36 usurpatum vituperasse fertur Cornificius poeta¹⁵, quem Hieronymus Ol. 184, 4 (anno 713) mortuum esse docet. quo tempore quinta scripta est, secundam et tertiam iam editas fuisse illius versibus 86 et 87 probatur. praeterea non est quod Suetonio aliisque fides denegetur, qui in secundo carmine sub Alexidis persona Alexandrum puerum latere narraverunt, quem a Polione Vergilius dono accepisset; atque tertiae eelogae versus 84—89 iam maiorem inter Polionem et Vergilium familiaritatem poeticorumque studiorum concentum ostendunt. itaque cum anno 711 exeunte Polionem a triumviris cispadanae Galliae praefectum esse constet, ante annum 712 duo illa carmina scripta esse non est veri simile. quartam eelogam non post annum 714, quo Polio consul fuit, editam esse, versibus 11—14 ostenditur¹⁶. sed cum Aseonius Pedianus (schol. Dan. ad buc. IV 11) Asinium Gallum¹⁷, Polionis filium, adfirmasse testatus sit, suum ortum a poeta celebratum esse, tempus carminis etiam certius definitur posse

est, qui in praefatione bucelicorum et ad I 29 idem narravit.

15 cf. Cledonii ars p. 43, 1 K.

16 Propter metricas rationes Polionis nomen non puto e quarta eeloga eiciendum esse: cuius versus 12 tertiae versibus 84, 86, 88 satis defenditur; neque eo offensus esse videtur Lucianus Muellerus. cf. de re metr. poet. Lat. p. 337.

17 Nequis veterum interpretum ad IV 1 et 10 erroribus decipiatur, Asinio Gallo Salonis a. 715 captis a patre Salonini cognomen datum esse moneo, ut Gallus idem sit qui Saloninus. cf. Tac. ann. III 75 et Lipsii ad eum locum adnotatio.

opinor. neque enim probabile est, Vergilium aut patrem tantis laudibus ornasse aut de filii rebus tam laeta auguratum esse ante factam Brundisiam pacem, quam Polio magnopere adiuverat, ut ipse quoque expectatae ex ea salutis auctor esse videretur. itaque altera anni 714 parte, postquam Polio consulatum anno 711, cum Antonius, Octavianus, Lepidus foedus inter se fecerunt, promissum inivit, Asinius Gallus natus¹⁸ et quarta eeloga scripta esse videtur. at haud pauci sunt, qui de Asconii fide dubitent neque hanc eelogam ad Polionis filium aut ad ullum mortalem puerum referri posse concedant. verum est sane, Vergilium Polioni immoderate blanditum esse videri. sed antequam interpretatio et ipsius carminis versibus quibusdam (13 sq., 17, 26 sq.) et optimi auctoris testimonio commendata abiciatur, diligenter quaerendum esse puto, num quae sint quibus ad effusam illam laudationem poeta videatur deductus esse. atque ad illud quod modo de Brundisina pace dixi primum accedit quod ea tum fuit rei publicae condicio, ut Polionis amici facile sperare possent, eum in altiore etiam locum perventurum esse¹⁹. deinde Vergilium mollioris animi fuisse scimus et amicorum patronorumque observantissimum. a nullo autem plura et maiora beneficia acceperat, quam a Polione, quo etiam poeticorum studiorum moderatore usus erat. intellegitur igitur qui fieri potuerit, ut in gaudio quo dilectissimi hominis rebus laetius efflorescentibus affectus erat, paulo audacius exultaret, cum filium eius tum ipsum natum olim principem in civitate locum obtenturum esse auguraretur²⁰. quem quod deo-

18 Neque enim dubito, quin Asinius Gallus quo tempore Vergilius hoc carmen meditatus est, iam natus fuerit, eaque res consulto obscurata sit, ut vaticinii species augetur.

19 cf. Benoist P. Virg. Mar. op. I² p. 38. Octaviani et Agrippae virtutes tum parum spectatae, Antonii vitia omnibus cognita erant.

20 cf. Tac. ann. I 13 'quippe Augustus

rum vitam accepturum esse vaticinatur (v. 15) et caram deum subolem, magnum Iovis incrementum appellat (v. 49), Graecorum et Asianorum hominum morem ad Romanos propagatum sequitur²¹. magnificentia autem illa, quam novi saeculi descriptioni additam esse videmus, unde petita sit, Sibyllinis oraculis comparatis cognoscitur, quae in hac quaestione non videntur neglegenda esse (cf. v. 4): nam etiam ex oriente tum Sibyllina carmina in urbem translata esse certum est²². e tertio igitur oraculorum libro, quo satis multa contineri constat, quae ante Christum natum composita sunt²³, versus qui sunt 367—380, 619—623, 743—760, 784—794, apte cum Vergiliano carmine conferri puto. quae cum ita sint, ab eo quod Asconius de quartae eclogae consilio tradidit, non videtur discedendum esse. cum tamen Vergilius quem puerum intellegi vellet non aperte indicaverit, neque evenerint quae cecinerat, quod iam satis antiquo tempore de carminis ratione dubitatum est non potest mirum videri: eius dubitationis in Servianis commentariis satis multa exempla extant. octavum carmen anno 715 scriptum est, antequam Polio, qui ab Antonio missus Parthinos, Illyricam gentem, vicerat, in urbem rediit et a. d. VIII Kal. Nov. triumphum egit. nam interpretes Servio antiquiores (Dan. schol. et Philargyrius ad v. 10 et 12)

audiendi sunt, qui versibus 6—12 Polionem a poeta appellatum esse prodiderunt. Servius ipse cum eos versus ad Augustum pertinere dixit, eorum studia secutus est, qui ut suo iure in georgicis et in Aeneide, ita in bucolicis iniuria principis laudes a vide rimabantur. decimam eclogam ipse poeta v. 1 post ceteras ortam esse testatur. recentiores interpretes plerique annum 717/37 ei adsignant, quo Agrippa cum exercitu Rhenum transiisse fertur. sed cum v. 22 sq. (cf. 46—49) nihil dicatur, nisi Lycoridem cum novo amico per Alpinas nives perque horrida castra ad Rhenum profectam esse, quidni ad Gallicum aliquod praesidium tuendum eum missum esse putemus? ut non sit, cur hoc carmen anni 715 esse negetur. de duabus eclogis, quae ipsae nullum temporis indicium habent, septimam Ribbeckius (prol. p. 4) rectissime dicit propius ad initia quam ad ultima bucolicae artis specimina collocandam esse, sextam anni 714 ineuntis esse iis quae infra de agris Mantuanorum inter veteranos milites distributis disputabo, probatum iri spero. itaque in ipsis carminibus nihil inesse vidimus, quo aut Asconii de incepti bucolici operis tempore testimonium dilueretur, aut infringeretur Suetonii auctoritas, qui tribus annis bucolica a Vergilio perfecta esse prodidit.

De turbis illis, quas anno 713 in transpadana regione agris divisus effectas esse constat, paulo accuratius exponendum est. nam quo certius quid tum Vergilio evenerit exploratum erit, eo rectius de trium eclogarum, primae nonae sextae, temporibus et causis indicabitur. Bruto et Cassio igitur Philippensi proelio victis Octavianus vere anni 713 Romam reversus XXXIV urbium Italicarum agros inter veteranos milites distribui iussit. inter urbes illas Cremona fuit. Cremonensium agri cum non sufficerent, Octavius Musa, limitator ab Octaviano constitutus, vicini Mantuanorum agri XV milia passuum ad-

supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abuerent aut impares vellent vel idem possent cuperentque, M. Lepidum dixerat capacem, sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum?

²¹ cf. Preller Roem. Mythol. II³ p. 426. — non dissimile est quod Vergilius Cornelium Gallum, amicum de rebus suis bene meritum, in sexta ecloga (v. 64 sqq.) ab ipsis musis in Helicona duci, in decima (v. 21 sqq.) Apollinis, Silvani, Panos consolatione leniri finxit.

²² cf. Preller Roem. Mythol. I³ p. 307 et adnot. 1.

²³ cf. Bernhardt Gesch. d. Griech. Litt. II³ p. 446.

sumpsit²⁴. in his fuit Vergiliorum praediolum, quod Arrio cuidam centurioni adsignatum est²⁵. Asinio Polione et Cornelio Gallo, qui ab iis transpadanae Galliae municipiis, quorum agri non dividebantur, pecuniam exigere iussus erat²⁶, auctoribus Vergilius cum suis Romam se contulit, ut precibus Octavianum ad agros sibi reddendos moveret. devertit fortasse in Sironis magistri villulam, haud longe, ut videtur, ab urbe distantem, ubi expectaret quid Octavianus de patrio praedio decerneret²⁷. atque Polionis maxime et Galli intercessione effectum est, ut agros redditum iri promitteretur²⁸. Andes reversus et in praedii possessionem a Polione Octaviani iussu restitutus, huic poeta gratias egit ecloga prima. sed autumno anni 713 L. Antonius et Fulvia, M. Antonii uxor, bello lacessere Octavianum coeperunt. Polio, qui illorum partes sequebatur, potestate depulsus et in eius loco Alfenus Varus transpadanae provinciae et agris dividendis praefectus est²⁹.

24 cf. schol. Dan. ad IX 7.

25 Hoc Donatus (praef. buc. vel vitae § 96) et Servius (praef. buc. et ad I 48, IX 1) testati sunt. cum Danielina scholia ad primam eclogam non iam extent, in eo testimonio acquiescendum est. Probi (p. 3, 6 K.) Milienum Toronem totum removeri velim. nam ea est inter Arrii centurionis et Milieni Toronis nomina similitudo, ut facile conicias, Probum qui vocatur, aut eius auctorem calami aliquo lapsu deceptum esse.

26 cf. schol. Dan. ad VI 64.

27 cf. catalepton VIII (X). nonam perique eclogam in Sironis villa scriptam esse sibi persuaserunt. cur ab ea opinione discesserim infra exponam. hoc loco v. 4 'si quid de patria tristius audiero' poetae Octaviani responsum expectanti convenire moneo.

28 Asinium Polionem, Cornelium Galum, Alfenum Varum triumviros agris dividendis ab Octaviano institutos esse Donatus et Servius (praef. buc.) prodiderunt. sed Donatus id inde finxisse videtur, quod Suetonius (p. 59, 1 sqq. R.) bucolica in honorem trium illorum virorum scripta esse naravit, quia in distributione agrorum indemnem praestitissent Vergilium.

29 cf. schol. Dan. ad VI 6 et IX 29. Alfenus Varus cum bello imminente provinciae praepositus sit et a Vergilio petiverit, ut res suas epico carmine celebraret — quod is ita denegavit, ut proeliis canendis se impari esse diceret —, bellicis officiis Octa-

ea opportunitate usus Arrius ille Vergilium, Octaviani fide et auctoritate fretum neque novas insidias timentem, iterum ex agris suis migrare iussit³⁰. qui manibus irati militis fuga ereptus, ubi vilico praecepit, ut pecorum et agrorum fructus illi tanquam domino tribueret, ipse nova ecloga Varum legatum adiit³¹, ut cohibita latro-

viani benevolentiam sibi comparasse videtur. musarum amorem eius animo primus, ni fallor, Vergilius iniecit, quippe qui IX 11—13 carmina inter arma nihil valere queratur, tum 17—55 poetarum poeticaeque artis dignitatem dedita opera inlustret. — Bernensis scholiastes ad VIII 6 Varum Mantuanis suscensuisse refert, quod Octavius Musa, civis Mantuanus idemque magistratus, cum tributum ab Augusto esset indictum, pecora Vari pignori capta tam diu clausa tenuisset, donec inedia morentur. quod si verum esset, in agro Mantuano fundos habuisse Varum esset concedendum. sed Bornensi scholio quominus fidem habeamus obstat Danielini interpretis auctoritas, qui ad IX 7 Octavium Musam a Mantuanis offensum esse narrat, 'quod pecora eius in agro publico aliquando clausissent.' — quae Servius de Alfenio Varo prodidit omnia futilia sunt.

30 cf. Verg. buc. IX 2—4. schol. Dan. ad IX 11 '*carmina* autem non nulli, quibus sibi Polionem intercessorem apud Augustum conciliaverat, accipiunt: quo fugato rursus de praediis suis fuerat Vergilius expulsus.' Servius nonae eclogae v. 2—4 non satis recte interpretatus est cum in praef. buc. haec scripsit 'perdito ergo agro Vergilius Romam venit et potentium favore meruit, ut agrum suum solus reciperet. ad quem accipiendum profectus ab Arrio centurione, qui cum tenebat, paene est interemptus, nisi se praecipitasset in Minicium: undò est allegoricos *ipse artes etiam nunc vellera siccata*. hinc est quod, cum in prima ecloga legimus eum recepisse agrum, postea eum querelantem invenimus, ut *audieras... columbas*.' dissentiant a Vergilii versibus illis quae Danielino scholio ad IX 1 narrantur, de finibus lito exorta a Clodio quodam prope interfectum esse poetam (cf. Bern. schol. ad IX 1, 6, 14). itaque hac narratione rectius, quam interpres ille ad noni carminis causam explicandam, ipse ad Suetonii testimonium supplendum usus esse videor, qui (p. 59, 5 R.) Maecenatem Vergilio modiciter sibi noto adversus veterani eiusdem militis violentiam opem tulisse prodidit.

31 Quod unus Servius ad IX 1 commemoravit, Vergilium ab Arrii impetu servatum iterum Romam petisse, id multi probant et nonam eclogam illi scriptam esse statuunt. sed dubito num verum sit quod Servius prodidit. nam Romam eundi vix alia causa Vergilio esse potuit, nisi ut Octaviani auxilium denuo imploraret: at is tum non fuit in urbe. accedit quod ea est carminis ratio,

num violentia agros sibi reddendos curaret³². atque effecit Varus³³, ut poeta sua recuperaret: qui sexta ecloga in illius honorem scripta debitas gratias persolvit. esse video inter recentiores interpretes qui id carmen vituperent: mirantur argumentum a bucolico genere alienum et fabularum levissime adumbratarum neque apte inter se iunctarum multitudinem. mitto quibus artificii alii poetam defendere conati sint. mihi Vergilius quod nona ecloga eum incepisse conieci, sexta longius persecutus id egisse videtur, ut Varum, hominem ad illud tempus in bellicis maxime rebus versatum, Graecarum fabularum varietate et iucunditate monstrata ad poeticam artem magni aestimandam adduceret. eodem splendidas Galli poetae laudes huic carmini insertas spectare conicio. ex metamorphoseon autem genere, Romanis tum parum cognito, fabularum exempla pleraque ideo deprompta esse crediderim, ut novitatis gratia legentium animi caperentur. cum bucolicis huic carmini nihil fere commune esse iam veteres interpretes agnoverunt. neque eorum sententiam reiiciendam opinor, qui ad Varum laudandum invito animo poetam accessisse et id unum curasse dixerunt, ne quod IX 29 promississet omnino neglexisse videretur³⁴. nam Polionem, hominem suarum rerum saeque artis studiosissimum, loco depulsum esse dolebat neque aegre ferre non poterat, quod Mantuanis non tantum agri quantum decretum erat, redditum est³⁵.

Quo tempore Vergilius Andinum

ut Vari magis quam Octaviani voluntatem sibi conciliare voluisse videatur poeta: illum enim ipsum alloquitur et carminibus suis immortalem fore promittit. itaque non longe ab agris suis discessisse et in Vari provincia mansisse videtur.

32 Verg. IX 27 sqq.

33 cf. Dan. schol. ad VI 6 (Alfenus Varus) 'qui curavit ne ager, qui Vergilio restitutus fuerat, a veteranis auferretur.'

34 cf. Gustav Kettner 'die sechste Idylle Vergils' Zeitschr. f. Gymnasialwesen XXXII p. 389—390.

35 cf. schol. Dan. ad IX 10.

praedium reliquerit non est traditum, potest tamen haud improbabili, ut opinor, coniectura reperiri. Suetonius enim (p. 59, 5 R.) haec scripsit 'georgica in honorem Maecenatis edidit, qui sibi mediocriter adhuc noto opem tulisset adversus veterani cuiusdam violentiam, a quo in altercatione litis agrariae paulum afuit quin occideretur.' cum Maecenas in bucolicis non sit appellatus et Suetonius georgicis missis Vergilium eius auxilio servatum gratiam rettulisse prodiderit, agraria illa lis non ante videtur facta esse, quam a bucolico genere recedere constituisset poeta³⁶. ad inferius tempus non convenit quod 'mediocriter noto' Vergilio Maecenas succurrisse narratur, quippe cui anno 716 in eunte Horatium ab illo commendatum esse constat. probabiliter autem Ribbeckius (narr. p. XXII) eam poetae a potenti amico opem latam esse coniecit, ut tutior sedes quam Andina offerretur³⁷. itaque anno 715 e Mantuana regione discessisse Vergilium veri simile est³⁸. Andina

36 Erraverunt igitur Donatus (praef. buc. p. 743 Hag. vit. §96) et Servius (praef. Aen.), qui Suetonii testimonium ita interpretati sunt, ut Maecenatem inter eos fuisse dicerent, a quibus poeta, ex agris suis Arrii violentia expulsus, Octaviano commendatus esset. immo ad eam litem Suetonius spectare videtur, quam Danielinus interpres ad buc. X 1 sic descripsit 'cum immunitatem agrorum Vergilius impetrasset' (i. e. postquam Alfeni Vari beneficio in agrorum possessionem restitutus est), 'his est exorta de finibus inter eum et eos, qui in proximo agros acceptant: ex quibus Clodius quidam dixit, se omnem litem amputaturum interfecto Vergilio. quem poeta stricto gladio se insequentem fugit in tabernam carbonariam et, beneficio institoris ex alia parte emissus, servatus est.'

37 cf. Suet. vit. p. 57, 14 R. 'habuit domum Romae Esquilis iuxta hortos Maecenatis.' Philargyrii autem (ad Georg. II 225) et Gellii (VI 20, 1 sqq.) testimoniis probatur, quo tempore georgica scriberet Vergilium prope Nolam praedium possedisse.

38 Augeretur, ni fallor, huius rationis fides, si Magiam matrem id matrimonium, ex quo Valerius Proculus natus est (cf. Suet. p. 63, 9 R.), non ante quam Vergilii patri nuberet, inisse certum esset: quod si constaret, Maronis patrem, quem anno 713 in vivis fuisse catal. carmine octavo ostenditur, anno 714 vel 715 mortuum esse probaretur. patre autem amisso Vergilium

commoratione finita Vergilius decem eclogas uno libro comprehensas edidisse videtur. ei, qua Octaviano agris redditis gratias egerat, ab ipso primum locum adsignatum esse certum est³⁹: quod haud scio an Maecenatis auctoritate effectum sit, quem facile concedas operam dedisse, ut cum illo poeta maiore necessitudine coniungeretur. ceterae eclogae non sunt eo, quo scriptae esse videntur, ordine collocatae. atque probandam puto Wagneri sententiam⁴⁰, qui poetam, ut varietate legentium animos delectaret, amoebaeis carminibus I III V VII IX non amoebaea II IV VI VIII interposuisse coniecit. addo Octaviani honoris causa posse institutum esse, ut nona ecloga quam longissime a prima removeretur: nimirum cavere volebat Vergilius, ne id carmen, quo infirmum fuisse illius beneficium questus esset, continuo post illud legeretur, quo agris recuperatis gratias egisset⁴¹.

Georgica Suetonius (p. 59, 5) in honorem Maecenatis edita esse nar-

lubentius e patria civitate demigratorum fuisse facile intellegitur.

39 cf. Georg. IV 565 sq.

40 edit. mai. I p. 50.

41 Notum est extitisse nuper, qui septem tantum eclogas, quas proprie bucolicas vocat Donatus (praef. buc. p. 744 Hag. vit. § 101), i. e. I II III V VII VIII IX, annis 712 et 713 fere scriptas, reliquas tres, i. e. IV VI X, annis 727—729 additas et primae v. 7 et 8, 42 et 43, octavae v. 6—13 insertos esse statuerent. in iis, quae supra de bucolicis dicta sunt, eius opinionis ratio habita est: restat ut Servii de carminum Vergilianorum temporibus testimonium, quo illi suam sententiam firmari putant, explicetur. grammaticus igitur cum in vita Aeneidos commentario praemissa bucolica tribus, georgica septem annis scripta et emendata esse dixit, ea carmina illis temporibus non solum composita, sed ita perpolita esse testatus est, ut edi posse viderentur: quae emendata esse dixisset, eadem edita esse intellegi voluit. similiter in his quae p. 2, 12 leguntur 'Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam et Varium hac lege iussit emendare, ut superflua demerent, nihil adderent' emendandi verbum eam vim habet, ut idem edendi notionem contineat. quod Servius p. 2, 10 sqq. Aeneida undecim annis scriptam, sed nec emendatam nec editam esse tradidit, emendandi et edendi officia, quae illis locis uno emendandi verbo comprehendit, hoc loco scorsum significavit.

ravit, quod Servius in vita ita interpretatus est, ut propositum esse a Maecenate id carmen Vergilio diceret. sed sua potius voluntate ductus poeta hoc argumentum elegisse videtur: amabat enim rusticam vitam, suos in agris colendis et pecuaria re facienda occupatos viderat et fortasse ipse adiuverat, rusticarum rerum tractationem cum iis studiis, quae adulescens enixe coluerat, coniunctam esse intellegebat. probasse Maecenatem amici consilium et perficiendi operis monitorem extitisse Georg. II 39—46 et III 40—43 ostenditur.

De temporibus georgicorum Suetonius duobus locis testatus est: p. 60, 5 R. 'georgica' inquit 'septem annis perfecit' et p. 61, 1 sqq. 'georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quadriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vice vocis quotiens interpellaretur ipse vocis infensione.' videtur igitur Suetonius apud auctores suos invenisse, per annos 718/36—724/30 georgica in manibus habuisse Vergilium. atque absolutum esse carmen anno 724 exeunte iis, quae in ipso insunt temporum notationibus confirmari videmus: neque enim ulla res commemorata est quam post eum annum factam esse certum sit, et poeta ipse (IV 559) extremam se operi manum imposuisse testatur⁴² 'Caesar dum magnus ad altum fulminat Euphraten bello victorque volentis per populos dat iura viamque affectat Olympo.' sed inter editum carmen et inchoatum septem annos interfuisse, certis ipsius Vergilii indicibus non potest probari. nam primi libri v. 24—42, quos anno 718, postquam Octavianus Sexto Pompeio victo in urbem redierit, scribi potuisse concedendum est, non minus apte alii ad annum 723 exeuntem vel ad insequentem annum rettulerunt. item eiusdem libri versibus 498—514 utrum an-

42 cf. Ribbeck lect. Verg. p. 1.

norum 718 et 719, an anni 723 difficultates et pericula describantur dubitari potest. libri secundi versibus 161—164, quibus Iulius portus anno 717 factus celebratur, nihil ostenditur, nisi Italiae laudationem post eum annum scriptam esse, quam non ante annum 724 absolvisse poetam v. 171 sq. probatur. ‘coniurato descendens Dacus ab Histro’ autem, qui II 497 commemoratus est, non solum anno 719, sed etiam insequentibus Romanos terrebat⁴³. tertii libri v. 26—33 anni 724 exeuntis vel 725 ineuntis esse certum est. neque tamen propter haec quae dixi Suetonii testimonium abiciendum esse existimo, quippe quod ipsum idoneis argumentis firmari possit. nam ut mitam, Graecorum et Latinorum scriptorum de rustica re libris lectitatis ad scribenda georgica diligentissime se praeparasse poetam⁴⁴, in componendo carmine eum accuratissime elaborasse, ut lente opus processerit, boni auctores affirmant⁴⁵. inter priores duos libros et tertium intervallum scribendi fuisse ipse Vergilius II 541 sq., III 41—43 professus est. denique carmen antequam ederetur magna cura emendatum esse Danielinis quibusdam et Philargyrii scholiis, de quibus alio loco accuratius disseram, ostenditur. neque veri dissimile est operis editionem consulto dilatam esse, dum Octavianus in Italiam rediret. his explicatur, ni fallor, qui fieri potuerit, ut inter conceptum georgica scribendi consilium et perfectum septem anni abirent. videtur

autem poeta primum librum et secundum annis 719—720 scripsisse, scriptos amicis misisse, quorum iudicia experiretur; tum opere aliquamdiu intermisso posteriores duos libros addidisse. inter emendandum cum alios locos, tum tertii libri proemium mutatum et supplementum, eadem opportunitate secundi v. 171 sq. insertos esse conicio⁴⁶.

Inter Vergilii carmina georgicis nullum perfectius esse aut proprias eius virtutes luculentius ostendere, omnes consentiunt, ac ne illud quidem dubitatur, quin in didactico genere nihil antiquitas tulerit, quo georgicorum praestantia superetur⁴⁷. quae quidem praestantia quibus in rebus maxime cerneretur, optime exposuit Philippus Wagnerus⁴⁸, qui ubi didactico poetae non id agendum esse dixit, ut omnia complecteretur, quaecumque in ea quam explicaturus esset arte continerentur, ‘ut autem’ inquit ‘in deligendis rebus elegantissimo iudicio usus est Vergilius, ita plane divinus est in exornandis. quod eo maioris fuit ingenii, quo tenuiora atque exiliora sunt pleraque ad rem rusticam pertinentia. id ipsum cum sentiret Vergilius, ne languescerent studia legentium, hoc instituit, ut praeclaris quibusdam episodiis distingueret hoc carmen eoque fessum legendo animum quasi reficeret. vultis optima quaeque et splendidissima hic a me percenseris? nihil non nitet in hoc carmine, omnia sunt summo ingenio digna.’

43 cf. Memmsen Roem. Gesch. V p. 9 sq.
44 cf. Serv. ad I 43 et II 215. Probus ad I 244 (p. 42, 13 K.) Quintil. X 1, 56. Macrob. Sat. V 2, 4 et 22, 9. Reitzenstein ‘de scriptore rei rusticae qui intercedit inter Catonem et Columellam libris deperditis’ (Berol. 1884) p. 18—27. K. Brandt ‘de auctoribus quos in componendis Georgicon libris adumbraverit Vergilius’ Salzwedel 1884.
45 Suet. p. 59 R. ‘cum georgica scriberet, traditur cotidie meditatous mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se (informe) more ursae parere dicens et lambende demum effingere.’ cf. Gell. XVII 10, 2 et Quintil. X 3, 8.

46 In primi libri initio et exitu, excepto fortasse versu 509, equidem nihil invenio, quod non possit ante Actiacum bellum scriptum esse. versus 512—514 amici poetae iam anno 719 cognovisse videntur: nam imitatum eos esse Horatium primi libri saturae primae, illo anno scriptae, versibus 114 sq. viri docti consentiunt. qua re illud quoque ostenditur, quod Horatius (sat. I 10, 44) Vergilio gaudentes rure Camenas ‘mollo atque factum’ adnuisse dixerit, id non ad bucolica solum, sed ad georgica etiam referendum esse. ‘factum’ autem Quintilianus VI 3, 20 ‘decoris et exultae cuiusdam elegantiae appellationem’ esse docet.
47 cf. Bernhardt Grundr. d. Röm. Litt. ed. IV p. 476.
48 In prolegomenis de vita carminibusque Vergilii editioni a. 1861 praemissis p. XVII.

Quo tempore Vergilius rusticae vitae laudationem (georg. II 458—540) scripsit, de epico carmine georgicis perfectis condendo nondum cogitavisse videtur: immo cum versibus 475—482 musas, quarum sacra se ferre gloriatur, invocaverit, ut eorum quae in rerum natura fierent arcanas causas sibi aperirent, de his rebus eum carmine praeceptorum fuisse opinemur. sed quartum georgicorum librum easque partes, quas anno 724 aut scriptas aut suppletas videri dixi, ad epici generis similitudinem accedere videmus⁴⁹ et III 46 sqq. poeta, a Maecenate, ut videtur, excitatus, aperte profitetur, georgicis absolutis Octaviani victorias heroico carmine se celebraturum esse. quod quin sincero et prompto ad efficiendum animo promiserit, non est quod dubitemus. sed sive Vario amico Caesaris bella canenda concesserat⁵⁰, sive dilato illo consilio opus olim nimia fiducia temptatum corroborato ingenio redintegrare malebat, Aeneae in Italiam adventum et rei Romanae fundamenta ab eo iacta epico carmine illustrare constituit. cum Iulii ab Iulo, Aeneae filio, gentis suae originem traherent, ea res Octaviano in familiam illam a C. Iulio Caesare adscito non poterat non exoptata esse, atque etiam civibus suis gratum facere videbatur Vergilius, quod imperii initia et incrementa ad certa deorum fata revocaret et potentiam omniumque rerum prosperitatem, quam Aeneae

stirpi Iuppiter olim promisisset, Caesaris virtute Romanis paratam et firmatam esse ostenderet⁵¹.

In praeparandum carmen et congerendam materiam plurimum operae conlatum esse ipse Vergilius testatus est, cum Augusto anno 728/26 fere ut 'sibi de Aeneide vel prima carminis *ἰστοροσφῆ* vel quodlibet *κῶλον*' in Hispaniam mitteretur litteris efflagitanti⁵² respondit, nihil se habere quod auribus eius dignum esset, cum praesertim alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiretur⁵³. e Graecorum et Latinorum poetarum, Homeri maxime, Naevis, Ennii, libris quae in Aeneidem translata sunt Perellius Faustus et Q. Octavius Avitus primi collegerunt et eo quidem consilio, ut Vergilium aliena usurpasse exprobrarent⁵⁴. horum apparatu e posterioris aetatis grammaticorum collectaneis fortasse aucto usus est Macrobius, qui in quinto et sexto Saturnaliorum libro exposuit, quanta diligentia ex antiquorum carminibus poeta delibasset quae ad suum exornandum pertinere videret. magna autem illa ac subtilis doctrina, quam in Italorum originibus moribus institutis explicandis poeta exhibuit, unde petita sit, ex eiusdem Macrobii Saturnaliorum libro tertio et ex antiquorum interpretum scholiis cognoscitur, qui Catonis Varronis aliorum Romanae antiquitatis indagatorum testimoniis Vergilianae narrationis fidem probare aut siquid obscurum videbatur illustrare studuerunt.

49 cf. Benoist notice p. CVIII 'enfin, dans ce poëme, qui n'est pour son génie qu'une oeuvre de transition entre des essais juvéniles et un monument qu'il veut rendre sublime, l'épopée se fait jour de tous côtés et apparaît sous toutes ses formes, soit qu'il raconte avec un élan digne de plus grands objets les moeurs, les travaux, les combats des aïeilles, soit qu'il chanto la gloire de l'Italie ou les victoires d'Auguste, soit enfin qu'il s'essaie sur l'un de ces récits mythologiques, occupation favorite de quelques-uns des poëtes de son temps et de sa société littéraire, et qu'il le rattache habilement à son sujet, en le développant d'une façon nouvelle et touchante.'

50 cf. Hor. carm. I 6; epist. I 16, 25 sqq. cum schol. Acronis et Porphyronis.

51 cf. Suet. p. 59, 8 R. 'novissime Aeneidem inchoavit, argumentum varium et multiplex et quasi amborum Homeri carminum instar, praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune et in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis et Augusti origo contineretur.'

52 Sueton. p. 61, 14 R.

53 Macrobi. Saturn. I 24, 11.

54 cf. Sueton. p. 65, 21 R. 'Herennius tantum vitia eius, Perellius Faustus furta contraxit. sed et Q. Octavi Aviti *ἁμοιοσῆτων* octo volumina quos et unde versus transtulerit continent.' (*ἁμοιοσῆτων* Hagenus coniecit; *ἁμοιοτελευτων* vel *homoeotheleuton* libri exhibent; *homoeon eleuchon* Reifferscheidus).

In scribendo carmine qua ratione Vergilius usus esset, his verbis Suetonius (p. 59, 16 R.) exposuit 'Aeneida prosa prius oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere instituit prout liberet quidque et nihil in ordinem arripiens. ut ne quid impetum moraretur quaedam imperfecta transmisit, alia levissimis verbis veluti fulsit, quae per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent.' in his quae de argumento Aeneidis prosa prius oratione descripto dicta sunt cavendum est ne ita intellegantur, quasi Suetonius omnia, quae in Aeneide qualem reliquit poeta narrata videmus, accurate exposita esse dixerit. immo summatim tantum ac leviter quid quoque libro contineri vellet adumbrasse Vergilium haud scio an eo ostendatur, quod Suetonius alio loco (p. 61, 18 R.) commemoravit, Octaviano tres libros 'perfecta demum materia' recitatos esse. quod cum appareat neque ad primam illam descriptionem neque ad totum carmen anno 735 compositum illud quidem, sed nondum emendatum referri posse⁵⁵, ita videtur intellegendum esse, ut Suetonius Vergilium tres illos libros Caesari non ante legisse tradiderit, quam ipsorum res vel argumenta plene pertexuisset, etsi singula nondum omnia perpolita essent. itaque poeta cum ipsum carmen componeret, illa quae ante descripserat supplevisse et sicubi aptum iudicaret ab iis discessisse videtur. cetera, quae verbis supra excerptis Suetonius testatus est, quin vera sint omnia, non est dubitandum. nam si argumenti ordine servato opus continuasset Vergilius, non esset profecto, unde mirae illae narrationis discrepantiae repeterentur quibus carmen deformatum est: quas sustulisset, nisi emendatio fato praecisa esset. idem hemistichia explesset, quibus relictis quam non perfectum

sit carmen certius probatur quam aliis locis, qui quatenus limati sint numquam non dubitabitur.

Undecim annos in scribenda Aeneide consumptos esse Suetonius prodidit: ex quo efficitur, ut anno 725/29 statim post edita georgica ad hoc opus Vergilius adgressus sit. quod etiam indicium quibusdam temporum, quae in ipso carmine iusunt, comprobatur⁵⁶. primus enim liber propter versum 293 inter anni 725 Sextilem mensem et annum 727, quo tempore Iani portas clausas fuisse constat, scriptus esse videtur; accedit quod Augusti nomine a. d. XVI Kal. Febr. a. 727 a patribus oblato in primo libro Caesar non est appellatus. tertius liber post annum 726, quo Actiaci ludi, qui v. 280 commemorantur, Romae primum editi sunt; sextus post annum 731, quo Marcellus mortuus est (cf. v. 868—886); septimus anno 734, quo Parthi signa capta Augusto reddiderunt (cf. v. 606); octavus post annum 727 compositus est (cf. v. 678). praeterea quartum librum ante sextum ortum esse, huius versibus 450—476, quibus Aeneas Didonem apud inferos vidisse narratur, probabile fit. contra post sextum scriptus videtur quintus, cuius v. 833—871 non conveniunt cum illius libri versibus 337—371. secundus liber, cuius versu 781 Creusa vaticinari fingitur, post longam navigationem in Italiam Aeneas venturum esse, non potest ante tertium compositus esse, in quo vaticinium illud prorsus neglectum esse videmus (cf. III 7, 88, 146, 161 sqq., 182 sqq.)⁵⁷. denique verum est noni libri v. 176—180 Nisum et Euryalum ita induci, quasi antea non sint commemorati; sunt tamen commemorati in quinto (v. 294 sqq.): ut hic liber post illius v. 176—500 quin scriptus sit non videatur dubitari posse. — tres

⁵⁵ cf. quae infra de temporibus libro Augusti recitatorum dicentur.

⁵⁶ cf. Ribbeckii proleg. p. 56 sqq. et Friderici Conrads quaestiones Vergilianae Treveris a. 1863 editae.

⁵⁷ cf. schol. Dan. ad A. II 783 'cur ergo Aeneas horum non meminit et considit in Thracia et aliis locis'?

omnino libros poetam Octaviano recitasse certum est, item quartum et sextum lectos esse consentiunt auctores⁵⁸. praeter hos Caesarem Suetonius secundum, Servius tertium, is qui Servii commentarium supplevit primum audisse dixit. ex his testimoniis ei quod extremo loco protuli fides videtur habenda esse. nam primi libri versus 254—296 Caesari pronuntiare quantum poetae interfuerit facile intellegitur: contra valde ambiguum est, num secundus Vergilio dignus visus sit qui legeretur; unum certe locum ipsi adeo displicuisse videbimus, ut deleret quod primum scripserat, aptiora inter emendandum supplementur: quo factum est, ut cum ederetur Aeneis secundi libri ne materia quidem perfecta esset. cum ei qui Servianum commentarium auxit Donati commenta ad manum fuisse probabile sit⁵⁹, haud scio an eius auctoritate nostri Suetonianae vitae libri corrigendi sint. — quo tempore fere Vergilius tres illos libros legerit, etsi non aperte traditum est, vix tamen potest dubitari. nam a Cantabrico bello anno 730 Augustus in urbem rediit, anno 732

58 Sueton. p. 61, 17 R. 'cui (Augusto) tamen multo post perfectaque demum materia tres omnino libros recitavit, secundum quartum sextum, sed hunc notabili Octaviae adfectione, quae cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus "tu Marcellus eris" defecisse fertur atque aegre focillata est.' Serv. A. IV 323 'dicitur autem ingenti adfectu hos versus pronuntiasset, cum privatim paucis praesentibus recitaret Augusto: nam recitavit voce optima primum libros tertium et quartum' (n. r. v. o. IV. I. VI. Flor. et Bern. 167). A. VI 861 'et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviae recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium, nisi Vergilius finem esso dixisset.' quanta autem arte Vergilius legerit, Suetonius his verbis exposuit (p. 61, 4): 'pronuntiabat autem cum suavitate tum lenociniis miris. et Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam solum dicere, involaturum se Vergilio quaedam, si et vocem posset et os et hypocrisin: eosdem enim versus ipso pronuntiante bene sonare, sine illo inanes esse mntosque.'

59 cf. praefatio mea ad Servium p. XXI sq. addo decimo etiam saeculo in iis locis, ubi nostri plenioris commentarii libri scripti sunt, Donati commentarium extitisse videri. cf. p. XV adnot. 1.

exeunte in orientem se contulit, unde anno 735 demum mortuo poeta reversus est. ordinem autem legendi eum fuisse veri simile est, ut primum libri primus et quartus, post hos sextus recitaretur; id quod Servius etiam apud auctores suos invenisse videtur.

'Anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continuo nihil amplius quam emendare. egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset Aeneida combureret; sed is facturum se pernegarat, igitur in extrema valetudine assidue scriinia desideravit crematurus ipse: verum neinine offerente nihil quidem nominatum de ea cavuit, ceterum eidem Vario ac simul Tuaeae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset. edidit autem auctore Augusto Varius⁶⁰ sed summam emendata, ut qui versus etiam imperfectos sicut erant reliquerit.' ex his, quae cum omnia Suetonii esse videantur ad verbum descripsi, efficitur Vergilium, antequam ederet Aeneida, multa emendaturum fuisse, Varium autem pauca mutasse⁶¹ neque quidquam de suo addidisse. quae alii grammatici de rationibus eius prouiderunt pleraque vel futillia sunt vel certe admodum dubia. veluti non est fide dignum quod Suetonius Nisum grammaticum a senioribus audivisse narravit, Varium secundum librum in primum, tertium in secundum, primum in tertium locum transtulisse⁶² et primi libri initium

60 cf. Plin. n. h. VII 114 'Divus Augustus carmina Vergilii cremari contra testamenti eius verendum vetuit, maiusque ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua probavisset.'

61 Hoc voluisse Suetonium, cum Varium Aeneida summam emendasse diceret, Div. Aug. 85 ostenditur, quo loco Caesarem multa prosa oratione composuisse, poeticam summam attingisse Suetonius narravit: nam unum librum extare hexametris versibus scriptum et alterum aequo modicum Epigrammatum.

62 de Suetonii verbis (p. 64, 14 R.) constituendis recte iudicasse videtur Reiffers-

demptis quattuor illis versibus 'ille ego qui quondam' e. q. s. correxisse⁶³: quod in Servianis quoque (p. 2, 16 et 3, 17) invenitur, ommissa tamen Nisi auctoritate. quae Servius solus de Varii et Tuccae consiliis rettulit ita comparata sunt, ut operae pretium sit vera a falsis discernere. falsum enim est quod in secundo libro inter versus 566 et 589 a Vario ea deleta esse dixit quae nunc illo loco edi solent, contra verum videtur Varium et Tuccam sublatis post v. 566 versibus quibusdam, quos Vergilius tollendos esse significaverat, lacunam relinquere maluisse, quam edere quod ipse poeta abiecerat. A. IV 436 'dederis' a Vario et Tucca probatum esse, a bonis auctoribus acceptisse potest, cum praesertim idem legent Danielini interpretes. in sexti libri initio constituendo quod amicos a Vergilii voluntate discessisse testatur⁶⁴ contrarium est illis quae apud Pomponium Sabinum de Tuccae sententia Probus rettulit⁶⁵. VII 464 'aquai' diaeresin Tuccam et Varium fecisse, Vergilium 'aquae amnis' scripsisse, non est credibile,

scheidius, qui locum in eam sententiam, quam supra exhibui, e Servii praefatione supplevit. 'Nisus . . . aiebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse et qui tunc secundus esset in tertium locum transtulisse' edidit Hagenus.

63 Wagnerus Niso fidem habendam esse putavit: nam in ipsis verbis nihil inveniri, quod non posset Vergilianum videri: iure tamen Varium et Tuccam versus illos delevisse, cum tam tenuis atque exile principium neque cum argumento carminis gravissimo neque cum stilo tam grandi ac nervoso congrueret. probabilius Conrads quaest. Verg. p. XXV recitando primo libro a poeta eos praemissos esse coniecit. illud quoque suspicari possis, Vergilium cum primi libri exemplar amico nescio cui legendum mitteret, huic uni exemplari versus illos addidisse.

64 A. V 871 'sciendum sane Tuccam et Varium hunc finem quinti esse voluisse; nam a Vergilio duo versus sequentes huic iuncti fuerunt.' A. VI 1 'sane sciendum, licet primos duos versus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos; nam et coniunctio poematis melior est, et Homerus etiam sic inchoavit ὡς φάτο δάκρυον χέων.'

65 A. VI 1 'Probus "his duobus versibus" inquit "finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis commentariis."'

quamquam Servius ab antiquiore interprete fortasse adnotatum vidit, 'aquai' scripturam ad exemplaris a Vario editi fidem redire. neque Suetonii igitur neque Servii testimonia ea sunt, quibus Varium et Tuccam in edenda Aeneide suo arbitrio nimium indulsisse probetur: immo ea illi lege emendationem circumscriptis videntur, ut sicubi duplicem scripturam poeta reliquisset, eam quam aptiorem iudicarent, aut ubi incertum esset quid ille voluisset, id ponerent quod voluisse ipsis videretur, in ceteris nihil mutarent⁶⁶. cum Horatius in saeculari carmine et in quarti libri carminibus quibusdam ad Aeneidem respexerit, anno 737/17 fere eam editam esse probabile est⁶⁷.

Quoniam de carminibus Vergilii veterum testimonia exposita sunt, quae Andino praedio relicto poetae evenisse accepimus paucis comprehendam. atque 'parentes,' ut ait Suetonius (p. 57, 16 R.) 'iam grandis amisit, ex quibus patrem captum oculis, et duos fratres germanos, Silonem inpuerem, Flaccum iam adultum.' anno 717/37 Brundisino illi Maecenatis itineri interfuit, quod Horatius quinta primi libri satura lepidissime descripsit. cum Maecenati et Horatio Roma venientibus occurreret Sinuessae Vergilius cum Plotio et Vario comitibus (sat. I 5, 40 sq.), e Campania hi profecti esse videntur, neque illud prorsus repudiandum quod Landinus suspicatus est, in Nolano agro iam tunc

66 Quae Danielinus interpretis ad A. VI 289, III 204 et 226 adnotavit huc non pertinent. nam versus quos e sexto libro illo a poetae emendatoribus sublatis esso dicit, ne posse quidem Vergilii esse Ribbeckius ostendit (proleg. p. 91). versus qui III 204 'circumducti inventi dicuntur et extra paginam in mundo' Vergilius fortasse sententiam leviter adumbraverat, qua in emendando carmine ad augendam periculum Aeneadis imminuentem descriptionem uteretur. III 226 'resonant magnis stridoribus alae' prior scriptura fuisse videtur, quam ipse poeta delevit.

67 cf. Gaston Boissier publication de l'Enéide Revue de philologie. VIII p. 1 sqq. et P. Denticke Jahresber. d. philol. Vereins. XI p. 239.

poetam habitasse. quo tempore Brundisium advenit Maecenas, Antonius iam Tarentum inde abierat. eodem cum illum se contulisse constet, tunc fortasse Vergilius 'sub Oebaliae turribus altis' Corycium senem vidit, cuius in hortis colendis diligentiam in quarto georgicorum libro (v. 125 sqq.) laudavit. Suetonius (p. 57, 14 R.) poetam, quamquam Romae Esquilis iuxta hortos Maecenatis domum haberet, secessu Campaniae Siciliaeque plurimum usum esse prodidit. Siciliensis mansio ab aliis non est commemorata. sed georgica dum emendaret, Neapoli, Aeneida dum scriberet, in Surrentino litore aliquamdiu poetam moratum esse, ipsius testimoniis (georg. IV 563 sq. et catal. XIV) scimus. Athenas videndi cupiditate incensus post inchoatam Aeneidem Graeciam aut petivit aut fuit certe petiturus: probanda enim eorum sententia, qui tertium primi libri carmen ad poetam Vergilium ab Horatio missum esse statuerunt⁶⁸. de itinere anno 735/19 in Graeciam facto et de morte poetae haec quae infra scripsi narravit Suetonius (p. 62, 13 R.): 'anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continuo nihil amplius quam emendare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret: sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab oriente Romam revertenti destinaretque non abessere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est eumque non intermissa navigatione auxit, ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi diebus paucis obiit XI Kal. Octobr. Cn. Sentio Q. Lucretio coss. ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita, qui est via Puteolana intra lapidem secundum, in quo distichon fecit tale

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc Parthenope: cecini pascua rura duces.

heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum fratrem alio patre, ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam: qui eius Aeneida post obitum iussu Caesaris emendarunt.'

Corpore et statura grandem fuisse Vergilium, aquilo colore, facie rusticana, Suetonius (p. 56, 1 R.) tradidit: indecorum corpus et habitum apud Acronem Horatii interpres quidam commemoravit, ut tertiae primi libri saturae versus 29 sqq.⁶⁹ ad Vergilium pertinere ostenderet. ac videtur sane ea morum facilitas et elegantia, quae frequenti cum multis consuetudine paratur, poetae defuisse: qui cum magna aetatis partem ruri habitasset et varia uteretur valetudine — 'nam plerumque a stomacho et a faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam saepe reiecit' —, et sua voluntate ductus et necessitate quadam coactus lucem conventumque hominum vitavit⁷⁰. cum paucis tantum interiore amicitia coniunctus erat, veluti iuvenis cum Asinio Polione et Cornelio Gallo, tum cum Maecenate, Horatio, L. Varro, Plotio Tucca: qui quanto eum amore quantaque benevolentia prosecuti sint cum iis quae supra narrata sunt probetur⁷¹, tum Horatii maxime

⁶⁹ 'Iracundior est paulo, minus aptus acutis Naribus horum hominum; rideri possit eo quod Rusticius tonso toga defuit et male laxus in pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens Inculto latet hoc sub corpore.' ad haec interpres 'hic dicitur pulsare Vergilium, qui indecori et corporis et habitus fuit,' quod Heindorfio, Kirchnero aliis persuasit.

⁷⁰ Suet. p. 58, 4 'egit et causam apud iudices unam omnino nec amplius quam semel; nam et in sermone tardissimum ac paene iudecto similem fuisse Molissus tradidit.' p. 57, 9 idem narrat, poetam, si quando Romae, quo rarissime comesset, visus esset in publico, sectantes demonstrantesque ipsum suffugisse in proximum tectum.

⁷¹ Adde quod Suetonius (p. 57, 13 R.)

⁶⁸ cf. Kiessling philologische Untersuchungen. II p. 52 sq.

testimonio confirmatur, qui (sat. I 5, 39) 'postera' inquit 'lux oritur multo gratissima: namque Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque occurrunt, animae quales neque candidiores terra tulit neque quis me sit devinctior alter'. itaque non solum propter poeticorum studiorum communionem, quam idem Horatius in decima primi libri saturae testatus est, illis viris carus fuisse videtur, sed etiam magis propter morum suavitatem et egregiam animi probitatem⁷²: erat enim in eo mira erga amicos patronosque fides et observantia, alienae virtutis sincera admiratio⁷³, suae laudis suaeque utilitatis nulla cupiditas⁷⁴: quas virtutes ut ipsum data occasione re praestitisse scimus, ita ab aliis merita laude celebratas esse videmus. populo autem Romano quam gratus fuerit Vergilius, Tacitus docet apud quem (dial. d. orat. 13) Maternus 'malo' inquit 'securum et quietum Vergilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum.' bucolica tum populum audivisse probabile est, quippe quae Suetonius (p. 60, 6 R.) eo successu edita esse tradiderit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur: sed publicam illam venerationem Maternus commemorasse videtur, ut quantam omnino carminibus suis apud populum gratiam poeta sibi parasset, eo exemplo ostenderet⁷⁵. quodsi quaerimus quae-

nam maxime virtutes in Vergilii poematis popularibus eius tantopere placuerint, in primis respicienda sunt orationis copia ornatus elegantia, mira in versibus componendis ars, summa in rebus narrandis et describendis venustas. accedit in georgicis et in Aeneide argumentum ad Italorum studia et rationes atque ad illius aetatis spes et desideria aptissime electum et magna sollertia inlustratum. denique fieri non poterat quin ad magnas cogitationes excitarentur Romani intuentes incredibilem quam poeta prae se ferebat patriae caritatem, splendidas eorum qui rem Romanam condiderunt rebusque fortiter et praeclare gestis auxerunt laudationes, virtutum vere Romanarum admirationem, morum atque institutorum antiquitus traditorum piam venerationem.

Sed, ut fieri solet, hac tanta Vergilii apud suos gloria obtrectatorum invidia excitata est. exempla eius Suetonius (p. 65, 7 sqq. R.) protulit. bucolicis editis Numitorius quidam scripsit antibucolica, 'duas modo eclogas, sed insulsissime *παρωδήσας*. a georgicis inridendis se abstinuisse videntur malevoli; nihil certe de iis Suetonius commemorat, nisi recitante poeta (I 299) 'nudus ara, sere nudus' supplevisse aliquem 'habebis frigore febrem.' sed in Aeneidem acerbissime invecti sunt inimici. edidit adversus eam Carbilius Pictor librum, cuius inscriptio fuit Aeneomastix. M. Vipsanius Agrippa a Maecenate Vergilium 'suppositum appellabat novae cacozeliae repertorem, non tumidae nec exilis, sed ex communibus verbis atque ideo latentis'⁷⁶. Herennius

narravit 'possedit prope centies sestertium ex liberalitatibus amicorum.'

⁷² Suet. p. 57, 7 'cetera sane vitae et ore' ('more' conl. Ribbeckius) et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit.'

⁷³ cf. Bucol. VI 64 sqq.; VIII 9 sq.; IX 35.

⁷⁴ Suet. p. 57, 11 'bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere.'

⁷⁵ cf. Ovid. amor. I 15, 25 'Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur, Roma

triumphati dum caput orbis erit' et ars amat. III 337 'et profugum Aenean, altae primordia Romae, quo nullum Latio clarius extat opus.'

⁷⁶ cf. Quintil. VIII 3, 56 '*κακώζηλον*, id est mala adfectatio, per omne dicendi genus peccat: nam et tumida et pusilla et praedulcia et abundantia et accessita et exultantia sub iudicium nomen cadunt. denique cacozelon vocatur, quiddid est ultra virtutem, quotiens ingenium iudicio caret et specie boni fallitur, omnium in eloquen-

vitia Vergilii notavit, Perellius Faustus et Q. Octavius Avitus furta collegerunt. ipse Aseonius Pedianus, qui contra obtrectatores poetae scripsit, 'circa historiam' quosdam errores et quod pleraque ex Homero sumpsisset ei obiecit, quamquam addidit, hoc ipsum crimen sic eum defendere solitum esse: 'cur non illi quoque eadem furta temptarent? verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam quam Homero verum subripere'⁷⁷.

Obtrectatores, qui in singulis locis exagitandis maxime versati esse videntur, doctorem interpretum studia excitaverunt, apud ceteros nulla fere fuerunt auctoritate. etenim dum Romanum imperium stabat maximam fuisse Vergilii admirationem, non solum testimoniorum vi⁷⁸, sed magis etiam

tia vitiorum pessimum: nam cetera parum vitantur, hoc petitur. est autem totum in elocutione.' dixit de Agrippae sententia Ribbeckius prol. p. 100. mihi hoc ille voluisse videtur: Vergilium etsi tumorem in dicendo vitasset et communibus verbis usus esset, contendisse tamen mala quadam adfectione orationem, quasi rebus narratis graviter animo commoveretur, cum re vera non esset illis vehementius affectus. quod iudicium quam iniquum sit, quisquis libero animo ad Aeneida legendam accesserit facile sentiat.

77 Quod nolim ita intellegi, ut intelloxisse videtur Hieronymus, (praef. hebr. quaest. in Genesim tom. III p. 301 Vall.) quasi gloriatu sit Vergilius, surripuisse se Homero versus, perfecisse igitur rem maximam: immo hoc voluit proverbio illo usus ostendere, Homeri exemplum in multis se quidem rebus imitatum esse et ad leges ab eo constitutas opus suum direxisse, sed noluisse cum eo de palma certare, ac ne posse quidem ab ullo suae aetatis poeta epicum carmen condi, quod cum Homericum recte compararetur. Romani quod neglecta hac sententia cum Homero Vergilium contulerunt (Prop. III 33, 65; Domitius Afer ap. Quintil. X 1, 86; Plinius n. h. praef. 22), videri volebant ipsi poetam habere Homero si non parem, at certe similem: a nobis cuius modi comparatio, quam poeta ipse vetuit, non debet institui. — ceterum quod ex Asconii libro, ut videtur, Suetonius addidit 'et tamen destinasse secedere, ut emula ad satietatem malevolorum decideret,' non puto omnino repudiandum esse: neque enim veri dissimile est, poetam in emendando carmine id quoque spectatum fuisse, ut quosdam locos nimia imitatione ex Homeri libris translato mutaret.

78 Veluti Plinius epist. III 7, 8 de Sillii Italici villis haec refert 'multum ubique

eo ostenditur, quod inferioris aetatis poetae quo diligentius illum imitati essent, eo propius se ad summa accessisse credebant, atque scriptores etiam ad Vergilii orationem suam conformabant. ac ne medio quidem aevo aut proxime insecutis saeculis eam admirationem magnopere imminutam esse videmus. sed Homericorum carminum rationibus perspectis Aeneidos laus obscurari coepta est. ac primum prudentes viri, quanvis doctrinam et diligentiam poetae admirarentur, dubitarunt tamen, num ea quae de Aeneae in Italiam adventu atque de rebus ibi ab eo gestis et institutis ferebantur, cum a doctis hominibus inventa, non popularibus carminibus ex antiquitate propagata essent, tot saeculis post rem Romanam conditam ita potuerint expleri et describi, ut res vetustissimis temporibus vere factae, personae autem vere heroicae esse viderentur: Vergilium certe id non esse adsecutum⁷⁹. haec sive dubitatio sive reprehensio postea ab hominibus minus caute iudicantibus excepta et novis criminibus aucta est, quasi nihil prope in Aeneide inveniretur, quod aliqua laude dignum esset. sed cum ne in tanta quidem iudiciorum acerbitate defuerint qui Aeneidos praestantiam agnoscerent, tum his ipsis annis extiterunt⁸⁰, quorum

librorum, multum statuatum, multum imaginum, quas non habebat modo verum etiam venerabatur, Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat.'

79 Muniri videbatur id iudicium ipsius Vergilii auctoritate, qui paene mentis vitio tantum se opus inchoasse plurimaeque studia ei impertire adfirmasset atque moriens Aeneida comburi iussisset. at de amplitudine et copia argumenti, quam vix posset mente collecti, questus esse videtur; studia autem illa ad antiquissimas Italiae res cognoscendas maxime pertinere voluit, quibus quam verissime descriptis vetustatis opinio in legentium animis suscitaretur; denique quod carmen edi vetuit, non damnavit opus tanquam nimia fiducia et frustra inceptum, sed si ipsi editio concessa esset, multa ante se emendatum fuisse significavit.

80 Nomino Theodorum Pluess, qui anno 1884 librum edidit, qui inscribitur

opera effectum iri speremus, ut de consiliis et arte Vergilii rectius

'Vergil und die epische Kunst.' quae extremo eius libri capite de epica Vergilii arte recte aestimanda exposita sunt mihi quidem maximam partem probanda videntur.

iudicetur et intellegatur, non hac una re eius laudem contineri, quod quicquid ad carmen explendum usui esse posset operose congegesserit, congesta verborum et versuum elegantia decoraverit.

ADNOTATIO CRITICA.

Vergilii carmina videntur nobis integriora servata esse quam ceterorum poetarum vel scriptorum latinorum libri. nam paulo post mortem poetae docti homines de illis commentari coeperunt, inter quos Hyginum Gellius (I 21, 3) 'ex domo atque ex familia' Vergilii libro usum esse testatur. idem (XIII 21, 4) Valerium Probum, quem carmina recensuisse scimus, exemplar manu ipsius correctum, inspexisse adfirmat, Plinius (n. h. XIII 83) Vergilianae manus monumenta se saepenumero videre narrat, Quintilianus (I 7, 20) 'causae' et 'cassus' Vergilium scripsisse ipsius manum docere prodit. etiam altero post Christum natum saeculo autographa Vergilii extare credebantur¹, ut ne tertio quidem satis integros libros, quibus conlatis librariorum errores tollerentur, defuisse conicias, et ex codicibus, qui hodie supersunt, illi, qui quarto et quinto p. Chr. saeculo scripti sunt, a poetae manu haud longe discedere videantur. accedit quod, cum Vergilii carmina plurimum lectitarentur et plerisque cognita essent, scriptores saepissime versus ex eis de promptos protulerunt, quibus sua vel firmarent vel inlustrarent. etiam artium scriptores praeceptorum exempla e Vergilii libris in scholis multum tractatis maxime petebant. concedendum tamen est, haec studia, ut accurate et prudenter exercitata integritati carminum utilia fuerint, ita neglegenter instituta haud mediocre eis detrimentum inferre potuisse. nam qui ipsius poetae manu vel scripta vel correcta exem-

plaria perscrutati sunt si priores quoque scripturas inde enotaverunt — id quod factum esse Danielinis et Philargyrii scholiis confirmatur —, posterioris aetatis hominibus dubitationes moverunt, quibus memoriae fides potest immiuta esse. scriptores autem, qui Vergilii versus exempli causa laudaverunt, non semper exemplaria ante inspexerant, ut memoria decepti non nunquam aliena poetae tribuerint: quod cum in Senecae et Quintilianii aetatem cadat², tum multo magis ad quarti et quinti saeculi magistros pertinet, e quibus ipsum Servium in ea re neglegentissimum fuisse constat³. denique inter doctos superioris aetatis grammaticos fuisse videntur, qui, cum Aeneidi extrema manus non accessisset, ipsi temptantes quod poetae non erat concessum, quae minus apta esse iudicaret, corrigerent et lacunas quas Vergilius aut reliquerat aut reliquisset videbatur, explerent. ne illud quidem improbabile, magistros, qui in scholis carmina interpretarentur, si quid non facile intellegeretur, minus impedita et quae ad vulgarem orationem propius accederent substituissent. similibus etiam locis adscriptis genuina scriptura non nunquam expulsa est. denique quamvis diligenter carminum exemplaria olim correctata sint, tantam tamen fuisse scimus librariorum inertiam, ut vel sollertissimum correctorem unus et item alter eorum error facile potuerit fugere. his rebus effectum est ut non nullis

¹ cf. Gellius IX 14, 7; II 3, 5; XIII 21, 10.

² cf. Ribbeck prol. p. 200 sqq.

³ cf. praefatio mea p. XXX.

locis et in libris nostris et in scriptorum testimoniis haud exigua scripturae discrepantia appareat, aut non satis certa sit eorum quae eduntur fides et auctoritas. simul tamen illud intellegitur in tradita scriptura, etiamsi Vergilio non omnino digna videatur, plerumque acquiescendum esse. nam ut ea, quae librariorum erroribus inquinata esse verisimile sit, probabiliter emendari possint: sicubi grammaticorum studiis aut scriptorum, qui quidem carmina laudaverint, incuria id quod Vergilius scripsit obscuratum est, difficillimum esse apparet et eam ipsam rem cognoscere et in poetae manu restituenda eam quam artis veritas flagitat veritatis speciem adsequi. accedit quod in bucolicis siquid parum apte aut perspicue aut eleganter dictum videatur, ut emendatione opus esse tibi persuadeas, dubitatio movetur, an id quod displiceat iuveni poetae condonandum sit, quippe qui ipse audentem iuventa se ea carmina temptasse non dissimulaverit (georg. IV 565). in Aeneide autem multa eum emendaturum fuisse certo scimus. quae cum ita sint, a coniecturis recipiendis plerumque abstinui neque nisi paucos versus et librorum et testimoniorum auctoritate munitos tamquam subditios seclusi. in locis, quorum scriptura adhuc incerta videtur, librorum memoriam scriptorumque testimonia indicavi, etiam recentiorum de codicum discrepantiis iudicia⁴ et coniecturas, quantum utile videbatur, addidi. librorum scripturas ex Ottonis Ribbeckii apparatus locupletissimo petivi iisdemque, quibus ille, notis codices significavi:

4 Bentleii de emendandis Vergilii carminibus iudicia Edmundi Hedickii opera cognovimus, qui editionis Valkenierianae (Amstelod. a. 1646) exemplar a Bentleio correctum, quod hodie Londini in museo Britannico adservatur, diligentissime perscrutatus est et quae inde exscripserat in programme gymnasii Quedlinburgensis anno 1879 edito publicè iuris fecit. enotavi Bentleii sententias, ubi scriptura ab eo probata non est in hoc exemplar recepta.

F schedae Vaticanae
G schedae Sangallenses rescriptae
M codex Mediceus
P codex Palatinus
R codex Romanus
V schedae Veronenses rescriptae
Augusteus Pertzii
γ codex Gudianus
a codex Bernensis 172
b codex Bernensis 165
e codex Bernensis 184
m codex Minoraugiensis
1 et 2 numeris ad has notas supra versum adscriptis priores scripturae et correctiones distinguuntur.

De rationibus horum codicum Ribbeckius (prol. p. 265—362) copiosissime et prudentissime disputavit: quamquam illud mihi non persuasit, de Mediceo libri praestantia, quae, dum Nicolai Heinsii et P. F. Foggini opera is solus ex vetustissimis plene cognitus erat, a nullo addubitata est, Palatini scripturis accurate editis multum detractum esse.

De Serviani in Aeneida commentarii codicibus in exemplari meo dictum est; in bucolicis et georgicis hi praesto fuerunt: Lemovicensis saec. X, nunc Leidensis, olim Petri Danielis; Parisinus 7959 saec. IX—X; Vaticanus 3317 saec. X, Servii et Philargyrii in georgicorum libros scholia continens; Reginensis 1495 saec. X—XI; Hamburgensis 52 saec. XI; Monacensis 6394 saec. XI.

In orthographia etsi plerumque Mediceo libri vestigia pressi, in exemplari tamen discipulorum usui maxime destinato vulgari consuetudini non nulla concedenda esse putavi. in distinguenda oratione eorum rationes secutus sum, quibus cavendum esse visum est, ne nimia interpunctione legentes obruerentur.

buc. I 59 *aethere* Verg. libri (praet. Moret. IV), Servius, Probi ars, Priscianus, Probi comment. (p. 5, 13 K.) codd. Mon. Paris. et ed. princ., ut idem in Bobiensi fuisse videatur: *aequore* Probi comment.

cod. Vat., qui codex commentarium a Pomponio Sabino non nullis locis emendatum exhibet. probavit 'aequore' H. Keil (Philol. II p. 166), ut iusta antithesi terrestre animal in mari, marinum in terra vivere diceretur. sed displicet quod 'nudos' (v. 60) *κατὰ πρόληψιν* dictum est, cum 'leves' (v. 59) attributum sit: quae inaequalitas non cadit in librorum scripturam. cf. Wagneri lect. Verg. (Philol. suppl. I) p. 311. ceterum damnat v. 59—64 Peerlkamp Mnemos. X p. 9 || 65 *et rapidum Cretae veniemus Oaxen*] cf. Servianum scholium, quo ostenditur, iam veteres interpretes dubitasse, utrum *Cretae*, an *cretae* scribendum esset. illud, quod doctiores grammatici Philisthenis et Varronis Atacini verbis laudatis defendisse videntur, receperunt Wagner (cf. lect. Verg. p. 395) et Haupt, alterum Ribbeck (cf. Kappes Eos I p. 152 sqq.). *et rapidum certe veniemus ad Oxum Schaper (ad Oxum iam Ladewig). || II 27 fallit P¹ fallat RP²γ^{b2}. iudice me metuam, sic numquam fallit imago* Peerlkamp || 56 *est P¹ Ra¹ et inscriptio Pompeiana, v. 57 certet R.* cf. Buecheler Rhein. Mus. XII p. 251 || III 3 *oves a¹*, prob. Bentley || 102 *hi certe (neque amor causa est) vix ossibus haerent* Henricus Stephanus et N. Heinsius. cf. Donat. ad Ter. Eun. II 2, 38 || 109 *et quisquis amores aut metuet dulcis aut experietur amarus* libri et Servius. cf. Neue Formenl. II² p. 249, Naegelsbach lat. Stil. ed. V p. 450 et Kolster Verg. Ekl. p. 56. *et quisquis amores haud metuet, dulcis aut experietur amarus* Wagner; *et q. a. haud metuet dulcis, haud e. a.* Graser, rec. Schaper; *et q. a. hau temnet dulcis, haud e. a.* Ribbeck || IV 12 *Polio] orbis* Schaper || 26 *parentum Rγ² || 33 tellurem infindere sulco R || 52 laetantur R: laetentur* reliqui libri || 53 *tum PRγabc* Servii Bern. Lem. Hamb.: *tam* Servii Par. Regin., Vergilii deteriores || V 3 *considimus γ²*, rec. Wagner et Haupt || 19 Mopso plerumque tribuitur. librorum ordinem prob. Bentley || 58 *et cetera* rura] *secretaque vel secretaque rura* Schrader, *ecce et per rura* Peerlkamp || 63 *carmine idem || VI 24 videri] vieri idem || 32 terraique idem || 33 ex omnia P*, idem Peerlkamp coniecerat: *exordia* reliqui libri, Lem. et Regin. ap. Servium || 45 sq. *te fortunatam, si n. a. f., Pasi-phae, in nivei miseratur a. i.* Peerlkamp, prob. Ladewig || 51 *quaesissent P*, rec. Ribbeck || 80 *ante] alte* Ribbeck || VII 25 *nascentem* Servius *nascente M¹: crescentem PM²γacm || 27 aut si] sin* coni. Kolster Vergils Ekl. p. 147 || 54 *sua quaeque* MP Nonius Columella, cf. Lachmann in Lucr. comm. p. 94 sq. *sua quaeque* be² Bentley ad Manil. II 253, cf. Wagner lect. Verg. p. 368 sqq. *sua quaeque* prob. Vossius, ut *sua* ablativus esset et *μονοουλλάβως* pronuntiaretur. cf. buc. I 37 || VIII 4 *mutata* Peerlkamp et Ribbeck || 11 *desinet* Mac Servii libri: *desinam Pγ²*, ut videtur || post v. 28 unus Gudianus codex habet intercalarem versum, quem aut hoc loco addendum aut post v. 75 delendum esse vidit G. Hermann adnot. ad Bion. p. 46 || 50 seclisit Peerlkamp, quem secutus sum. *commaculare manus: puer, ah puer improbus ille: improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater* coni. G. Hermann, rec. Haupt; *commacolare manus, crudelis! tu quoque, mater, crudelis mater, magis at puer improbus ille* Ribbeck. versus 47—58 hoc ordine edidit Schaper: 52—57 47—49 51 50 58 || 58 *fiat γ¹b¹ ac* Prisciani libri: *fiat MPb¹γ²* Lemov. et Regin. ap. Serv. post hunc versum unum intercidisse vidit G. Hermann || 66 *insanos vertere* Schrader, *sanos a! vertere* Ribbeck || 74 *terque hanc* Wagner, cf. lect. Verg. p. 371 sq. || 76 cf. ad v. 28 || v. 95—100 post v. 104 collocandos esse censet G. Hermann || v. 105—109] v. 108 ante v. 105 colloc. G. Hermann. v. 106sq. *bonum fit nescio quid. certest, et Hylax in l. l. conii. idem; bonum sit. credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? nescio quid certe est: et II. in l. l. Haupt || IX 17 cadit] cadere* Peerlkamp || 42 *et] en* Ribbeck ||

X 19 *subulci* libri Vergilii, Terent. Maur. 1191, Servius. cf. Wagner lect. Verg. p. 312: *bubulci* Pierius coll. Theocr. I 80. cf. etiam Apul. Flor. I 3 et apol. 10; rec. plerique || 46 cf. Servius. *nunc insanus amor duri Mavortis in armis te procul a patria (nec sit mihi credere quantum!) tela inter media e. q. s. Peerlkamp || 53 malle] velle idem || 74 se subrigit e codice Pragensi Kuřčala Vergil-Stud. p. 208 sqq.*

In georgicorum textu constituendo illud non est neglegendum, quod olim non nulli viri docti suspicati sunt, nostra aetate plerique probant, poetam ea carmina, etiam postquam anno 725 edita essent, retractasse. quae ad eam quaestionem pertinent hoc loco comprehendere visum est. ac primum quidem veterum testimonia, quibus illa opinio confirmari putatur, excutiam.

A Servio igitur ad buc. X 1 haec adnotata sunt 'hie' (Corn. Gallus) 'primo in amicitiiis Augusti Caesaris fuit. postea eum venisset in suspicionem, quod contra eum coniuraret, occisus est. fuit autem amicus Vergilii adeo, ut quartus georgicorum a medio usque ad finem eius laudes teneret: quas postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit.' eadem ad georg. IV 1 sic narrantur 'sane sciendum, ut supra diximus, ultimam partem huius libri esse mutatam: nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei (*aristei et orfei* Paris. 7959, ut et supra versum sit) continet fabulam, quae inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est.' fidem habuerunt Servio haud pauci. at neque Suetonius neque Philargyrius qui vocatur eam rem commemoraverunt, quae neutri profecto commemoratione non poterat dignissima videri: nam carminum Vergilianorum memoriam diligentissime persecutus est Suetonius, Philargyrius autem etiam leviores quasdam georgicorum mutationes prodidit. accedunt alia satis multa, quibus adducamur, ut

in apertam Galli laudationem georgica olim exiisse negemus. nam ne Maecenati quidem, viro de rebus suis optime merito, cui pietatis significandae causa carmen misit, tantum honoris poeta tribuit, quantum Octaviano, cuius virtutes illustrandi cupide arripuerit occasionem. Galli igitur laudibus si tanta tanque conspicua carminis pars data esset, fieri non potuit, quin principis laudes ea re mirifice imminui viderentur. etiam artis praeccepta Vergilius videtur neglecturus fuisse, si Galli laudationi, a rebus reliquo carmine tractatis prorsus alienae, tantum spatii dedisset. denique Servii narratio, quae si vera esset, et de principis et de poetae fama multum detraberetur, vide quam non consentiat eum his quae Suetonius (Aug. 66) prodidit, Augustum Gallo ad necem compulso illacrimasse et vicem suam conquestum esse, quod sibi soli non liceret amicis quatenus vellet irasci. an publicae salutis ratione eum putas adaectum esse, ut Vergilium eius hominis, quem ipse olim dilexerat et honoribus ornaverat, laudes e georgicis tollere iuberet? itaque de mutata altera quarti libri parte quod Servius testatus est abiciendum videtur. contra quod Gallum eo loco laudatum esse dixit, id haud scio an ad bonos auctores referendum sit. neque enim abhorret a probabilitate, in Orphei et Eurydices amore celebrando Galli carmina Vergilium imitatum esse eaque imitatione amicissimi poetae gloriae servire voluisse⁵. id aequales, qui legebant Galli carmina, non fugit, sed inferiore aetate nemo nisi qui admonitus erat poetae con-

5 Fortasse huius rei apertum testimonium olim fuit in scholio ad georg. IV 468 adscripto, quod et brevioris inperitia et librorum erroribus obscuratum inter Bernensia extat 'LVCVM propter Gallum luciscum poetam (poeta *cod., em. Hagen*), qui novis studere volens ab Augusto occisus est.' frustra quaesivi quid pro corrupto 'luciscum' sine dubitatione reponerem: illud tamen certum videtur, interpretem cum propter Gallum luci mentionem inlatam esse diceret, ad carmina Galli spectasse.

silium agnoscere potuit. itaque si hoc unum manserat, Galli laudem in altera quarti libri parte inesse, neque item qua re ea laus contineretur obtinebat, facile intellegitur, quo modo inter homines novarum rerum cupidos Servianum illud commentum natum sit: scilicet quod non iam superesse videbatur id olim fuisse sibi persuaserunt et eius iussu sublato, a quo ipsum Gallum pessum datum esse audiverant. ceterum si probabitur quod Galli vestigia Vergilium persecutum esse conieci, illud quoque facilius explicari poterit quod Schaperus observavit, aliam esse versuum rationem in exitu carminis, aliam in iis quae praecedunt: qua in re etiam argumenti diversitatem spectandam esse non est quod moneam.

Transeo ad enarranda ea quae veteres interpretes de singulis versibus et vocibus ab ipso poeta emendatis testati sunt. atque ad II 225 Philargyrius qui vocatur haec adscripsit 'et hoc emendavit ipse, quia Nola posuerat: nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant (*fort.* qui ei aquam denegaverant), *ora pro Nola* posuit.' eadem fere apud Gellium leguntur, qui VI 20, 1 'scriptum' inquit 'in quodam commentario reperi, versus istos a Vergilio ita primum esse recitados atque editos *Talem dives arat Capua et vicina Vesaevo Nola iugo;* postea Vergilium petisse a Nolanis, aquam uti duceret in propinquum rus, Nolanos beneficium petatum non fecisse, poetam offensum nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, oramque pro Nola mutasse atque ita reliquisse *et vicina Vesaevo ora iugo.*' de fide huius narratiunculae dissentiunt inter se viri docti: Hauptius enim (ind. lect. aest. Berol. 1857 p. 4; opusc. II p. 121) 'ad commenta et fabulas' eam rettulit, 'quibus Vergilii nomen tempore satis antiquo cumulari coeptum est;' Ribbeckius contra (prol. p. 24) quin *Nola* mutaverit poeta non dubitat. neque vide-

tur de ea re iure dubitari, modo antequam ederetur carmen et per iocum magis quam ut serio ulcisceretur Nolanorum inliberalitatem Vergilium urbis eorum nomen delevisse concedatur, atque brevi Philargyrii testimonio plus tribuatur quam inani hoc loco Gellii loquacitati. famam autem mutationis ex amicorum poetae commentariis interpretes receperisse videntur. cetera quae Danielinis quibusdam et Philargyrii scholiis de ipsius poetae emendationibus continentur unde petita sint, Gellius docet qui non uno loco (I 21, 2; II 3, 5; IX 14, 4; XIII 21, 3) prodidit, exemplaria quae ipsius Vergilii manu scripta et correctae crederentur, ab antiquis grammaticis, Hygino, Fido Optato, Probo, aliis, inspecta esse. sed scholia illa cum non ab eodem homine ac ne eadem quidem aetate scripta sint, non eiusdem omnia sunt auctoritatis. nam quis est, qui verum esse sibi persuadeat, quod ad I 6 adnotatum est '*numina* fuit, sed emendavit ipse, quia postea ait *et vos agrestum praesentia numina fauni.*' immo propter deos v. 7 nominatos *numina* e coniectura inlatum videtur. neque veri similis est v. 13 primum *aquam* poetam scripsisse, quippe quod a consilio eius longissime abhorreat: quamquam eam scripturam satis antiquo tempore inventam et a doctis hominibus probatam esse his ostenditur, quae in Lemovicensi extant '*antiquissimi libri fudit aquam* plerique habuerunt, quoniam Neptunus fluminibus et fontibus et aquis omnibus praest, ut ipse docet (georg. IV 29) *aut praeceps Neptuno immerserit eurus,* sed melius *equum* propter armenta' et 'non nulli vero ob hoc *cui prima frementem fudit aquam* legunt, quod veteres murmura aquae fremitum dicebant.' itaque eum qui ad hunc locum adscripsit 'in authentico (euthentico *cod.*) *aquam,* ipsius manu *equum*'⁶

⁶ His quod praemisum est 'in corn. *equum*' videtur esse 'in Cornelianum *equum.*' Cornelianum enim exemplar aliquotiens in Bernensibus scholiis laudatur. quod et anti-

(i. e. in libro a poeta scripto 'aquam' extat, sed ipse 'equum' pro 'aqua' posuit), acque atque illum qui v. 6 'nunnina' fuisse testatus est, deceptum esse suspicor, ut antiquum sane aliquod et correctum exemplar falso Vergilii esse putaret. alia eorum est ratio quae de versibus 64 66 69 sq. a Vergilio mutatis tradita sunt '*exemplo induxit et reposuit;*' '*ipsius manu adiectum maturis solibus;*' '*manu (lege ipsius manu) adiecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi potuit ipsis officiant segetes ne frugibus illic, ex altero hoc tantum ne deserat umor harenam.*'⁷ haec enim omnia nisi de exemplari ipsius poetae manu emendato non potuerunt dici. accedit quod in versu illo, qui deletus esse traditur, nihil est, quod non videatur a Vergilio scribi potuisse: 'segetes' enim herbarum luxuriam esse voluit (cf. II 112). Philargyrii quoque testimonia ad II 344 'fuit autem prior lectio *frigusque calorque*, ut Plantus "neque frigus neque grandinem." aliter hypermetrus versus erit,' ad IV 141 'ipsius manu duplex fuit scriptura *tinus et pinus,*' ad IV 231 '*flores emendatum fuit. et bene gravidas flores, quod ex his omnia generant*' quominus ad librum a poeta ipso scriptum pertinere concedatur, nihil video quod impediatur. 'flores' umquam placuisse Vergilio aegre sane credimus; sed ne prior quidem scriptura, quae est 'fetus,' non habet quo displiceat, et Philargyrius cum fuisse emendatum 'flores' dicit, 'fetus' a poeta re-

positum esse docet. ceterum cum 'calorque' et 'flores' in Palatinum Vergilii codicem transierint, qui aliis locis, veluti A. VII 773, X 303 et 539, scripturas, quas a Probo probatas esse scimus, solus habet, dubitare possis, an scholia illa Berytio tribuenda sint, cuius ab ratione non videntur aliena esse.

Ostendisse videor quae interpretes de prioribus et emendatis poetae scripturis tradiderint non esse omnia abicienda. neque tamen quisquam praeter Gellium, cui in ea re fidem derogandam esse demonstrevi, editum exemplar mutatum esse testatus est: immo quae grammatici narraverunt ad assiduam studium, quo Vergilius georgica antequam ederentur perpolverit, videntur referenda esse. sed aliis etiam argumentis ex ipsius carminis, quale in libris nostris est, ratione petitis viri docti moti sunt, ut in priore editione poemam acquiescere negarent. invenisse enim sibi visi sunt locos, qui, ut Ribbeckii vocibus utar, vel eum sententiarum nexu et ordine satis conciliari non possent vel sine causa repeterent mutatis verbis quae in eandem sententiam paulo ante dicta essent. videri igitur Vergilium etiam edito carmini in marginibus vel in schedulis versus quosdam addidisse, neque tamen accurate significasse quibus locis inserendi essent. morte adventante ut cetera scripta sua ita emendata georgica Varro et Tuccae eum legasse (cf. Suet. p. 64, 5 R.). eos alteram carminis editionem curantes non omnibus locis quid voluisset poeta intellexisse: nam ex additamentis illis non nulla falsis locis inserta esse, neque omnia deleta quae poeta abieciisset. at primum Suetonii verba, quibus eam coniecturam firmari putant, ad unam Aeneida pertinere videntur. sed fac eorum vim latius patere — si georgicorum emendationes ab ipso poeta non editas edidissent amici, nonne fecissent quod is fieri noluerat, ne excusati illi quidem Augusti voluntate, qui Aeneida

quissimum et magnae auctoritatis fuisse Probi scholio apud Pomponium Sabinum ad Aen. VI 1 probatur, quo cum Tuccae commentariis Corneliani commentarii commemorantur.

7 Nicolai Du Rien, viri egregii, liberalitate mihi concessum est, ut Lemovicensem codicem, quem a. 1857 Lugduni primum contuli, Heidelbergae iterum exenterem. ea re contigit, ut nunc spondere possim, ea quae supra e Danielis exemplari excripsi, de quibus legendis olim prope desperaveram, esse in codice, nisi quod v. 69 'alter totus legi' hodie evanuerint, neque '*illic* ex altero hoc' verborum lectio omnino certa sit. praeterea 'desperat' pro 'deserat' codex.

servari iusserat. accedit quod viri docti aliis locis sine idonea causa sententiarum ordinem turbatum esse statuerunt, aliis nimis severe de carmine iudicaverunt, ut neque argumenti naturam neque consuetudinem Vergilii spectarent. qui cum multa praecepta, multa quae de arborum arborum pecorum natura observaverat exponenda haberet et ad singula exornanda et perpolianda maxime animum intenderet (cf. Suet. 59, 14 R.), facile fieri potuit, ut ipsum fugeret, siquid in rebus digerendis minus recte administraret. adde illud quod Suetonius septem annis georgica perfecta esse tradidit: quod si supra recte interpretatus sum, poeta ne singulos quidem libros uno quasi tenore scripsisse sed adumbrato argumento minores partes seorsum elaborasse putandus est. inde haud scio an in primo maxime libro eiusdem admonitionis satis frequens iteratio (204—207; 252—256; 257 sq.; 335—337; 351—354) explicari possit. sed licet haec excusationes admittantur, aliquot tamen loci extant, quos merito dicas a vituperatione illa nullo modo posse defendi. quibus in constituendis ea via ingrediendum esse opinor quam Danielini interpretis de georg. I 69 sq. testimonium monstrat. nimirum eos versus quibus aut res ante dictae inepte repetuntur aut ordo sententiarum moleste interrumpitur, grammatici, quicquid Vergilius scripsisset servari cupientes, e commentariis eorum, qui libros a Vergilio ipso antequam ederentur emendatos inspexerant et priorem quoque scripturam descriperant, deprompsisse et carmini inseruisse videntur. sed remedio hac ratione parato parce utendum est. nam etsi Lemovicensium scholiorum longe maxima pars amissa est, ut haud pauca de emendationibus poetae testimonia perieris facile conicias, tenendum tamen, ad v. I 80—279, ad quos extat plenior commentarius, prorsus nihil, in Philargyrii scholiis admodum pauca eius modi adnotata

esse. equidem secundi libri v. 373—375 solos, tamquam a poeta ipso non editos sine dubitatione seclusi, neque tamen adversabor si quis III 120—122 et IV 203—208 abici quam transponi maluerit. IV 290—293 quoque quod intactos reliqui nunc me paenitet.

Georg. I 35 *reliquit* MR γ . cf. Wagner lect. Verg. p. 312 || 50 *at* γ : *ac* Verg. reliqui et Servii libri, defendit Wagner l. l. || 103 *iactet* Probus et schol. Dan. ap. Serv. Aen. I 140 || *mirentur* Probus, rec. Ribbeck || 135 *ut*] *et* Augusteus Pertzii; idem con. Wagner. v. 135 *ut* ex Aen. I 174 et VI 7 *ictum* secl. Ribbeck, fortasse recte || 142 *alta petens, alius pelago trahit u. l.* con. Hanow || 155 *herbam*] *terram* Aug. Pertz. R, Servii Lem. Paris. || v. 173 et 174 transposuit Schrader quem Ribbeck secutus est. *altaque fagus stivae, quae e. q. s.* con. Martyn, rec. Schaper. post *fagus* distinxit Benoist. || 181 *inludunt* M² P² Servius, *ludunt* Aug. Pertz. || 195 *felicitibus* con. Klouček || 218 *adverso* M || 226 *aristis* MR Aug. Pertz. Nonius p. 301, 24 et 416, 25 et fortasse Quintilianus I 3, 5. idem Probus legisse videtur, etsi in lemmate est *avenis*. Vergilius buc. V 36 sq. et Plinius n. h. XVIII § 149 hordeum, non triticum, de quo hoc loco agitur, in avenam degenerare dicunt. etiam iis quae Plinius l. l. § 150 exponit *aristis* commendatur: *avenis* P γ bc. cf. Keil Philol. II 164 sq. et Wagner lect. Verg. p. 313 || 251 *illis* Seneca epist. 122, 2, rec. Ribbeck || 320 *ita*] *ut* con. Heyne, prob. Madvig advers. crit. II p. 47 || 321 *ferret*] *verrit* con. Meiser Fleck. Jahrb. 1872 p. 119 || 332 *Altho* Heinsius conl. Theocr. VII 77 || 360 *a* om. M γ et Servii libri, del. Ribbeck || 383 *varias* Servius et $\gamma^2 c^2 b$ || *et quae* Servius et γbc , *adque* R, *at que* M. *quaeque* con. Wagner lect. Verg. p. 387 || 418 *mutavere vices* Markland ad Stat. silv. V 2, 125, rec. Ribbeck || 457 *moveat* M¹, *moneat* reliqui, quod praefert Wagner || 461 *vehat*] *ferat* M¹ R || 491 *superi!* Markland ad Stat. silv.

III 5, 68. Servii libros *superis* exhibere moneo || 513 *addunt in spatia* M²γ² Quintil. (VIII 3, 78) Ambros., Servii Paris. Hamb.: *addunt spatia* M¹ *addunt spatia* R *addunt in spatia* Quintil. Bamb. Bern. Mon., Servii Vat.

II 22 *sunt alie quos ipse via* M¹ *sunt aliae quas ipse via* M², *inde sunt aliae quas ipse vius conii*. Scalliger, rec. Ribbeck || v. 39—46 post v. 8 collocandos esse conii. Hanow, sine idonea causa || v. 41 42 transposuit et v. 41 *dare* pro *da* conii. Peerlkamp. sed offendit, quod *Maccenas* a v. 40 sciungitur et translatio *pelagoque* v. d. v. p. verbis incepta v. 43 deseritur || 41 *volens* deteriores Verg. libri et Diomedis Paris., prob. Voss || 52 *voces* γ¹abc, rec. Haupt || 54 *faciet* M²γac, rec. idem || 65 *edurae*, scripturam a Servio commemoratam, rec. idem. *edurae* Ribbeck || 69 *et nucis arbutus horrida fetu* M² *et (vel ex) fetu nucis arbutus horrida* reliqui libri, Servius, Maximus Victorinus VI p. 222, 17K. || 71 *fagus* Prisciani (I p. 438, 8 H.) libri: *fagos* Verg. libri, interpretatur Servius || 81 *exit* Lachmann in Lucr. comm. p. 209: *exiit* libri (cf. Wagner lect. Verg. p. 316 sqq.) praeter Gudianum, qui cum Nonio p. 302, 4 *exiit* exhibet, quod recepit Ribbeck || 82 *miraturque* M²: *miratasque* M¹abc, Servii Paris. Hamb. Mon. in lemmate et in scholio, Vatic. in scholio, Porphy. ad Hor. epod. 16, 46 cod. Mon. *mirata estque* γ et Servii Vatic. in lemmate *mirataque* Serv. georg. I 103 libri plerique *mirata usque* conii. Schaper || 187 *dispicere* γ cf. Lachmann in Lucr. comm. p. 236 sq. *despicere* MPabc. cf. Wagner lect. Verg. p. 313 || 228 *Baccho*] *vino* vel *viti* conii. Klouček Krit. u. Exeget. zu Vergil p. 2 || 247 *amaro* PRc¹, defendit Madvig advers. crit. p. 48 adnot. 1 || 256 *quis cui color* Mentelianus I a m. pr.: *quis cuique color* M¹, commemorat Servius *quiscui eius color* R *quisquis color* P M²b²e² Servius, rec. Ribbeck || 267 *et] ei* conii. Madvig advers. crit. II p. 47 ||

271 *quae* libri, nisi quod *que* P¹. *qua* Servii Vatic. et Paris. cui testimonio non multum tribuendum est, cum Mon. et Hamb. in lemmate nihil nisi *axi* habeant. || 296 *pandens* γ, rec. Ribbeck || 302 *olea* Wagner: *oleas* M *oleae* reliqui Verg. et Servii libri, defendi posse putat Ribbeck, rec. Benoist || 316 *moveri* PR Nonius p. 380, 21, rec. Ribbeck || 318 *concretum* M¹, rec. Ribbeck || 327 *agit* conii. Peerlkamp || 332 *germina* Celus ap. Philargyrium: *gramina* Verg. libri, nisi quod *gramine* P || 341 *ferrea* M¹PRγbc Servius, Lactantii (instit. II 10) Sangall., ut videtur, Bononiensis Palatinus 161 Parisin. 1663: *terrea* M² Lactantii Valentinensis 140 *terrae* Lact. Parisin. 1662. cf. Samuel Brandt der St. Galler Palimps. des Lact. pag. 50 (Sitzungsber. der phil. hist. Kl. der kaiserl. Acad. z. Wien VIII Bd. 1). Philargyrius quid legerit, incertum est; nam scholium eius, quod in codice sine lemmate Serviano scholio adiunctum est, potest ad *duris c. e. a.* adscriptum fuisse. *terrea*, quod Bentley ad Hor. epod. II 18 defendit, ab omnibus fere editoribus receptum est. *ferrea* videtur esse firma, duratura. *aurea* conii. Peerlkamp || 344 *calorque* P. cf. Philarg. || 353 *hiulca*] *victa* conii. Schaper || 373—375 cum Ribbeckio seclusi || 379 *admorsor* γb²c Servius: *admorsum* P *admorsu* Rb¹ Symmachus epist. I 31, 2 ut videtur, *a morsu* M¹ *a morsu* M² *ad morsum* Ribbeck || 382 *ingeniis* R: *ingentis* reliqui libri. cf. Philarg. in *gentis* Ribbeck || 433 om. M, non interpretatur Servius, secl. Ribbeck || 454—457 Hanovium et Peerlkampum secutus seclusi. versus 454 sententia cum argumento libri, cuius magna pars culturae vitium data est, non concinit. in iis quae sequuntur displicet, quod Bacchus Centauros, quos ipse in furorem impulerit, domuisse leto dicitur || 461 *inclusas* M²γ²eb Servius. cf. Wagner lect. Verg. p. 314: *inclusas* PR, rec. Ribbeck || 469 *at* P, rec. Wagner et Haupt || 514 *hinc* ante

anni] hic Markland ad Stat. silv. I 2, 145, rec. Ribbeck || *parvosque*] *patrosque* Peerlkamp. ||

III 3 *carmina* MR^γb, rec. Wagner. cf. Philarg. || 77 *minaces* M^γb c *minacis* R, rec. Wagner || 85 *premens γ primens* P *praemens* R^{c1}. *premens* rec. Ribbeck || 96 post hunc v. 120—122 primus collocavit Bentley, quem cum Ribbeckio et Hauptio secutus sum || 114 *vector* Bentley || 135 *obtunsius usu sit genitale arcum*, ut *usu* dativus sit, coni. Klouček || 168 *ipsos* coni. Wagner Fleckeis. Jahrb. 1868 p. 148 || 188 *gaudeat* coni. Ladewig || 190 *accesserit*] *acceperit* P, rec. Ribbeck. *occeperit* F¹ || 194 *tum vocet*] *provocet* P, rec. Ribbeck || 202 *hic* M¹Pbc: *hinc* FRM², rec. Ribbeck || 230 *pernox* scripturam a Philargyrio commemoratam (cf. schol. Iuven. VIII 10) defendit Scaliger proleg. in Manil. p. 9, prob. Bentley, rec. Wagner et Haupt || 305 *hae* P^γ1 cf. Fleckeisen Rhein. Mus. VII p. 271 sqq. et Neue Formenl. II² p. 207 sq. || 323 *mittet* M¹: *mittes* reliqui Verg. libri, rec. Ribbeck. cf. Servius || 329 *iubebo* P, rec. Ribbeck || 347 *hosti* M²FRb c²γ²: *hostem* M¹c¹ *hostis* P || 348 *in agmina* P, rec. Ribbeck, sed cf. proleg. p. 310 || 363 *volgo*] *ultra* coni. Schaper || 364 *inductae* coni. idem || 391 *munere sub niveo* coni. Madvig advers. crit. II p. 48 || 398 *etiam* Pb, rec. Ribbeck: *iam* MR^γc || 402 *exportans* Scaliger: *exportant* libri || 430 *stagna colit ripasque, inhians ubi piscibus atram* e. q. s. coni. Peerlkamp || 437—439 Peerlkampum secutus seclusi. v. 439 secl. Haupt, aut *catulos* — *arduis* dubitanter Ribbeck. defendit v. 437—439 Albrecht Herm. XVI p. 404 cf. Aen. II 473 sqq. || 456 *et* P^γ2: *aut* reliqui libri, rec. Wagner et Haupt || *omina* c et *deteriores* quidam, rec. Wagner et Haupt || 481 et 557 *tabe* coni. Ribbeck. proleg. praef. p. XII ||

IV 21 *novi*] *sui* Peerlkamp, rec. Ladewig et Schaper || 22 *suo*] *novo* Peerlkamp, rec. idem || 39 *sucoque* Madvig advers. crit. II p. 49 || v. 47—50 Schrader post v. 32, Ribbeck

multo aptius post v. 17 collocavit: quamquam versibus hoc modo transpositis id quod oppositis inter se *absint* (v. 13) et *adsint* (v. 19) poeta efficere voluisse videtur, imminuitur || 58 *hic* P, rec. Ribbeck || 62 *huc tu iussos*] *huc tu tunsos* Reiske *huc tu tussos* Ribbeck *tu iucundos* Peerlkamp || 75 *et circa reges ipsa* e. q. s. Schaper || 82 *acies*] *reges* Peerlkamp || 129 *pecori*] *Cereri* egregie Salmasius, prob. Ribbeck Haupt Madvig; sed non satis constat *nec fertilis illa iuencis* verba falso interpretatum esse Wagnerum: ‘i. e. nec is erat ager, qui proferret ea, quae ut proveniant, per iuvenecorum laborem efficitur.’ *pecori* tuetur schol. Dan. ad I 47 || 132 *animo* deteriores quidam Verg. libri, rec. Haupt. cf. Wagner lect. Verg. p. 309 || 177 *habendi*] *agendi* Peerlkamp || post v. 183 v. 203—205 colloc. Wagner || 200 *et suavibus* γbc, rec. Wagner et Haupt: *e* MP, rec. Ribbeck || 202 *refingunt* Rb, rec. Wagner (cf. lect. Verg. p. 375) et Haupt: *refingunt* M^γc Servius, nisi quod ‘*refingunt*: *fingunt*’ Paris. man. 2, Philargyrius. *relingunt* P || 221 *omnia* Peerlkamp in Aen. vol. II p. 21: *omnis* libri || 222 *terrarum tractusque* M² || 229 *thensauri* P, rec. Ribbeck || 230 *ora* M²cb² Servii Hamburg: *ore* PRM¹γ² Servii Par. Vat. Mon. || *fove* libri, nisi quod *fave* M¹ Servii Vat. et Mon. m. pr. *ore fave* interpretatur Philarg. et commemorat Servius. cf. georg. II 135 || post v. 230 Schrader, quem Duebner et Ribbeck secuti sunt, v. 236—238 collocavit || v. 248—250 ante 239 collocavit Ribbeck, quod necessarium videtur, ut *sin* habeat quo referatur || 243 Voss, Ribbeck alii post *blattis* distingunt, ut v. 244 cum iis quae sequuntur coniungatur || v. 276 *damnaverunt* Weichert et Jahn, secundis curis additum esse censent Wagner et Ribbeck, tuetur Peerlkamp, sed ita ut scribatur *ornat de torquibus aras* || 290—293 hoc ordine Pbc, 290 292 291 293 M^γ 290 292 293 291 R. damnavit hos versus Peerlkamp (cf. Ribb.

beck || 28 *surget* M γ b, rec. Wagner et Haupt || 49 *quacumque* P, prob. Bentley || 51 *mihi* om. Menag. pr. *atque alta Cythera* RP (in marg.) γ ¹. *est celsa Paphus atque alta Cythera* Wagner et Haupt || 67 *fatis petiit* Haupt, cf. Lachmann comm. in Lucr. p. 208 || 72 *nostri* M¹, rec. Wagner || 79 *gremiis*] *generis* coni. O. Mueller Herm. XII p. 303, prob. Baehrens || 83 *tu potes* coni. Markland ad Stat. silv. III 2, 81, rec. Ribbeck || 108 *Rutilusve* γ cb², rec. Wagner et Haupt: *Rutilusne* MPR, rec. Ribbeck || v. 109—112 damn. Peerlk., v. 109 sq. secl. Ribbeck, v. 111 e Nonio p. 390, 33 *populos* pro *Rutulus* recipiens || 138 *subnectit* M: *subnectens* reliqui libri, rec. Ribbeck || 179 *ab* delet Lachmann comm. in Lucr. p. 160, sed cf. Wagn. lect. Verg. p. 356 et L. Mueller d. r. m. p. 278 || 186 *Cinyre* b² Mentel. pr.: *Cinire* Vb¹c² (cf. Macrob. Sat. V 15, 5) *Cinyrae* M *Cinera* P *Cumarre* R *Cumare* schol. Dan. ap. Serv. *Cygue* Tib. Donatus; *sine re* coni. Madvig advers. crit II p. 40 *transierim ignarus, paucis c. C. Schaper.* 'non ego te transierim' haud scio an ad 'et p. c. C.' quoque pertinere voluerit poeta || 188 *crimen, Amor, vestrum* Sprengelius, prob. Ribbeck et Madvig l. l. sed pinnae alloquitur poeta; 'crimen' causam interpretatur Asper ap. Serv. cf. Aen. VII 339 cum schol. Serviano || 237 *ardentis* P γ ¹: *horrentis* MR, defendit Wagner lect. Verg. p. 357 || 238 *tenet* PR γ bc: *tenent* M et Serv. libri praeter MF, rec. Ribbeck || 256 *rubebat* P², rec. Ribbeck || post v. 277 deteriores libri hab. IX 125 *ultra animos tollit dictis atque increpat* *ultra* || 279 *viri* R: *viris* reliqui libri, rec. Ribbeck. *in manibus Mars; ipse, viri, nunc c. e.* e. q. s. Madvig advers. crit. II p. 42. *perfringere dextra* (in *manibus Mars ipse vel iste*) *viros* Klouček || 280 *referto* MR γ ²bc et Servius: *referte* P γ ¹, rec. Ribbeck || 283 cf. Sen. ep. XV 2 (94), 28 et Buecheler Rhein. Mus. XXXIV p. 623 sq. || 290 *spirant* M et lemma Servii: *sperat* reliqui Verg. libri,

praefert Servius, rec. Ribbeck || 292 *proram* M²: *proras* reliqui libri, defendit Wagner lect. Verg. p. 357 || 302 *vadi* P¹ et Probus ap. Serv.: *vadis* reliqui Verg. libri, def. Wagn. lect. Verg. p. 357 || 315 *et* P. *sacrum*: c. e. f. *quo licuit parvo?* conii. Markland ad Stat. silv. I 2, 88, rec. Ribbeck || 333 *steteruntque* M²Ry^b, commemorat Servius, defend. Wagner lect. Verg. p. 387 || 361 *quo* Haupt || 365 *aspera aquis n. l. d. q. s. e.* conii. Madvig advers. crit. II p. 42. *aspera equos n. l. d. q. suaserat, unum q. r. restabat egenis* conii. Klouček || 368 *et* ego conii. Peerlk. || 385 *dum furit incautus c. m. s.* Bentley || 389 *agris* P¹, rec. Ribbeck || 416 *cavens* commemorat Servius: *canens* boni Verg. libri, def. Wagner lect. Verg. p. 358 || 457 *ire prior Pallas, siqua fors adiunct, ausus v. i.* conii. Madvig adv. crit. II p. 43 || 477 *magno tinxit se corpore T.* conii. Madvig l. l. || 482 *quem* M¹: *cum* Rbe, rec. Haupt || 485 *de corpore* γ, rec. Ribbeck || 501 *nec servare* schol. Dan. ap. Serv. || 511 *versis tempus* P¹γ, rec. Ribbeck || 521 *ac* M²β², rec. idem || 525 *deposta* conii. Klouček || 535 *orani* P¹β, rec. Ribbeck || 538 *insignibus albis* Probum legisse Servius testatur, rec. Ribbeck, sed cf. Wagner lect. Verg. p. 358 || 544 *ense*] *ecce* conii. Axt || 545 *tortum pro totum* conii. Wagner || *ferro*] *terrae* conii. Iasper ZGW 1879 p. 564 || 557 *humo* M², rec. Wagner (cf. lect. Verg. p. 358) et Haupt: *humi* reliqui libri, rec. Ribbeck || 563 *tacitis*] *Latius* conii. Klouček || 584 *contra . . . hostem* damnat Wagner || *hostis* P¹R *hostes* P²γc, prob. Bentley || 587 *aptet* P, rec. Ribbeck || 620 *fatur* P M¹γ¹, rec. Ribbeck || v. 662 sq. ante v. 660 colloc. Brunck || 672 *quosne* Asprum legisse schol. Dan. ap. Serv. refert: *quosve* P¹γc *quosque* MR, fortasse recte || 703 *genitore* conii. Bentley ad Hor. epod. V 28 || 704 *Paris* conii. Bentley l. l.: *creat* libri et grammatici || 708 *multosve* P, rec. Ribbeck. *defeulit, multosque p. L. s. pascit vel pavit h.* conii. Bentley l. l. || 711 *propiusque* P¹γ, rec. Ribbeck || v. 716 sq. ante v. 713 colloc. Scaliger praef. ad Manil. || 741 *ad quem R at quem Me: atquae* VP¹γ *ad quae* libri deteriores, rec. Ribbeck || 753 *insignis* M¹, rec. Wagner || 768 *longe* conii. Madvig advers. crit. II p. 44 || 795 *prorupit* PR, rec. Ribbeck *prorumpit* Bentley || 804 *arce* Moret. pr. et libri deteriores: *arte* MPRγc, interpretatur schol. Dan. ap. Serv.; in lemmate *arce* exhibent FG || 816 *transit R: transiit* MRy^b, rec. Wagner; *transiit* c et deteriores libri, rec. Ribbeck || 823 *strinxit* M: *subiit* reliqui, rec. Wagner et Ribbeck. cf. Albrecht l. l. p. 423 || 837 *in pectora* conii. Madvig l. l. || 856 *quamvis dolor alto vulnere tardet* conii. Peerlkamp, rec. Ribbeck || 861 *cruenti* P¹ commemorat Serv., rec. Ribbeck || post v. 870 deteriores libri habent XI 668 *et furis agitata* amor et conscia virtus || 879 *nam iam* γ, rec. Wagner. cf. lect. Verg. p. 390. || XI. 24 *ait*] *agite* conii. Peerlkamp. cf. schol. Dan. ap. Serv. || v. 80 secl. Ribbeck || 82 *flamman* R¹γ, rec. Wagner et Haupt || post v. 87 lacunam statuit Ribbeck || 94 *praecesserat* libri (nisi quod in Gudiano supr. vers. 'al. processerat'), rec. Ribbeck || 136 *pinos* M: *pinus* reliqui libri, rec. Ribbeck || 152 *non . . . parenti, cautius . . . Marti: haud* c. q. s. Ribbeck. *parenti*] *petenti* commemorat schol. Dan. ap. Serv., probat Madvig advers. crit. II p. 30. prior ipsius Servii expositio haud scio an non sit spernenda || 168 *iuvaret* M, rec. Wagner || 171 *Tyrrhenum*] *equitumque* Bentley || 173 *in arvis* idem || 193 *hinc* Wagner. cf. lect. Verg. p. 391 || 230 *petendum* M²be et grammatici: *petendam* M¹PRγ || 236 *ruunt* M, interpretari videtur Servius (etsi in lemmate libri praeter AS *fluunt* habent), rec. Haupt; sed cf. Wagn. lect. Verg. p. 391 || 243 *Diomede* Wagner et Ribbeck. cf. Servius || 247 *arvis* Servius, Mentel. pr. et deteriores Verg. libri: *agris* boni libri, rec. Ribbeck || v. 266—268 post v. 263 colloc. Ribbeck || 267 *inter* P¹γc, rec. Ribbeck || 268 *devicta Asia*

probat Servius || 272 *amissis* P, *admissis* commemorat Servius, prob. Bentley || 295 *quae sit magni s. belli* conii. Ladewig, *quae de magno s. bello* dubitanter Madvig advers. crit. II p. 44 || 319 *atque horum*] *memorumque* conii. van Gent, *tesquorum* Madvig l. l. p. 45 || 356 *firmes* RM² et Servius: *iungas* reliqui Verg. libri, rec. Wagner (cf. lect. Verg. p. 360) et Ribbeck || 373 *et iam tu* Heinsius, rec. Haupt; sed cf. Servius || 393 *J. t. qui sanguine Thybrim crescere* schol. Dan. ad v. 378 || v. 404 (cf. II 197) damnat Albrecht l. l. p. 425, non legisse videtur Servius, qui 'Myrmidonum proceres' Patroclum et Achillem intellegit || 418 *semel* M² γ bc et Servius: *semul* P, *simul* M¹R, rec. Ribbeck || 425 *variisque* M¹P¹R schol. Dan.: *variusque* M²P² γ c, rec. Ribbeck || 455 *ad auras* M: *in auras* reliqui libri, rec. idem; sed cf. Wagner quaest. Verg. X 1 || 461 *ruant* libri deteriores, prob. Bentley || 463 *maniplos* P γ ¹, rec. Ribbeck || 469 *consilium* M γ ², rec. idem || 471 *adsicerit ultro* et 472 *acceperit urbi* conii. Peerlkamp, prob. Ribbeck || 487 *rutilum* Rb¹: *Rutulum* MP γ , rec. Wagner. cf. lect. Verg. p. 359 || 495 *aut, adsuetus aqua perfundi, fl. n. emicat* conii. Madvig l. l. p. 45 || 527 *receptus* M¹P γ bc et Servius: *recessus* RM², rec. plerique || 534 *tristi* R, prob. Bentley || 537 *neque enim . . . intemerata colit* (v. 584) parum convenire Dianae sermoni putant Peerlk. et Ribb. || 552 *feribat* M², rec. Ladewig et Schaper; sed cf. Wagner lect. Verg. p. 360 || 567 *ullae*] *villae* conii. Peerlkamp || 574 *oneravit* Servius || 592 *Italusve* Servius et schol. Dan. ad v. 591: *Italusque* MP γ R, rec. Ribb. || v. 607 secl. Ribbeck || 609 *constituerant* M¹, *constiterat* Wagner et Haupt || 613 *ruina dant sonitum ingenti* Ribbeck; nam *ruina* P², *sonitum* MP γ ¹ || 653 *in tergum, siquando* Ribbeck e Bernensi 165 || 654 *derigit* boni libri || 665 *deicit* et *fundit* Bentley || 671 *suf-fosso* M, commemorat Servius, rec. Wagner; sed cf. Servius et Vegetius *ars veterin.* I, 53 || 708 *laudem* M²P² γ ,

rec. Wagner et Haupt || 728 *inicit* R: *incitat* MP γ b, *incutit* conii. Heinsius, rec. Ribbeck || 738 *expectare* libri deteriores, prob. Wagner et Haupt: *expectate* boni libri et Servius, rec. Ribbeck || 742 *offert* R γ , rec. Haupt; sed cf. Wagner lect. Verg. p. 361 || 768 *Cybelae* Macrobbii libri, *cybele* γ : *Cybelo* reliqui Verg. libri et Servius || 774 *umero* γ , prob. Wagner || *erat* Mb: *sonat* γ c, rec. plerique. sed voluit, ni fallor, poeta aureum arcum ornatui fuisse Chloreo, usui corneum || 799 *ubi* M: *ut* reliqui libri, rec. Ribbeck || v. 818 sq. damnat Kůičala V. St. p. 263 sq. || 821 *fida* M¹Rc: *fidam* PM² γ ¹ *fidam ante alias, quae sola Camillae, quicum p. c.* Ribbeck || 830 *relinquunt* Probum legisse schol. Dan. ap. Serv. testatur, rec. Ribbeck || 839 *mulcatam* libri et schol. Dan., prob. Bentley, rec. Ribbeck || 841 *subisti* cod. Prag. || 854 *ut vidit laetantem animis* M¹, rec. Wagner (cf. lect. Verg. p. 362) et Ribbeck || 882 *intra* MR: *inter* reliqui libri, rec. Wagner et Ribbeck || 891 sqq. *ipsae . . . matres (monstrat amor patriae, versam ut v. C.) tela e. q. s. conii.* Schaper. mihi in mentem venit (*monstrat amor vires patriae*) i. e. efficit amor patriae ut suarum virium sibi consciae fiant || 895 *audent* M² γ ²bc, rec. Haupt. Servius ita locum interpretatur ut 'ardent' legisse videatur: quamquam AVDENT in lemmate RF, A. reliqui || 901 *pellunt* R, rec. Ribbeck || 911 *pedum*] *virum* cod. Prag. cf. Kůičala V. St. p. 264 sq. ||

XII. 24 *arvis* M: *agris* reliqui libri, rec. Wagner || 26 *simul . . . hauri* secl. Schaper || 35 *Thybrina* MPR γ ¹, rec. Ribbeck || 55 *monitura* conii. Ribbeck || 74 *Martis* conii. Peerlk. || 92 *columna* γ b¹, testatur Arusianus VII p. 455, 19 K., rec. Ribbeck || 120 *lino* Vergilium reliquisse ap. Serv. testantur Caper et Hyginus: *lino* Vergilii libri et Servius || 130 *telluri* Rb²c et Servius ad v. 563: *tellure* reliqui libri et Arusianus p. 467, 11 K., rec. Ribbeck || 132 *ac tecta* PR γ b¹, rec. idem || 170 *saetiger* Wagner et Ladewig || 173 *ter-*

gora Servium legisse suspicatur Dorvillius || 176 *vocanti*] *precanti* M^{cb2} (cf. Servius et schol. Dan.), rec. Ladewig || 178 *Saturnia Iuno* Me, ut Servius ad v. 176 || 201 *mediosque* Fabricius, rec. Haupt; sed cf. Wagn. lect. Verg. p. 362 || 208 *ina* Haupt || 218 *aequos* coni. Schrader. *non viribus aequis* damn. Brunck et Peerlkamp, sententiam a poeta non perfectam esse censet Ribbeck || 221 *tabentesque* e et deteriores libri, prob. Bentley: *pubentesque* boni libri. *pallentesque* g. e. i. i. c. *languor* vel *torpor* Schrader || 232 *fatalesque* MRb, rec. Ribbeck || 237 *lentis* γ¹; *armis* M^{1γ}, prob. Bentley || 264 *densete* Rbc, prob. Bentley || 273 *ad medium*] *medio* esse qui legant testatur interpres Turonensis ap. Serv. || *alvo*] *auro* M, rec. Wagner et Ladewig || 287 *aut*] *et* M, rec. Haupt || 310 *condantur* P, rec. Ribbeck, prob. Albrecht l. l. p. 396 conl. XI 187 || 332 *intonat* MR, rec. Haupt et Ladewig; sed cf. Wagner lect. Verg. p. 394 || 389 *latebras* M: *latebram* P^{1γ}, rec. Ribbeck || 391 et hoc loco et in v. 420 et 425 e libris deterioribus *Iapis* edidit Wagner || 394 *citharamve* et *celerisve* Bentley || 401 *Paeonum* P, rec. Schaper || 408 *subeuntque* Rc: *subeunt* P^{1γb}, rec. Ribbeck, post 'vident' gravius distinguens || 458 *Osinum* coni. Bergk opuse. I p. 311 et 527: *Osinum* vel *Osyrim* libri || 459 *Tarchetium* coni. Bergk l. l. p. 311 conl. Plut. Rom. 2: *Archetium* M *Arcetium* PR || 470 *relinquit* VM²: *relinquit* reliqui libri, rec. Ribbeck || 495 *sentit* M: *sensit* reliqui libri, rec. idem || 506 *moratum* schol. Dan. in lemmate, *moratus* Servii ipsius libri ad v. 507, ubi *morantem* Flor. *moratum* prob. Bentley || 514 *maestum*] *vastum* coni. lasper ZGW. 1879 p. 570 || v. 515 et 516 transposuit Peerlkamp, prob. Ribbeck || 520 *limina* M: *munera* reliqui libri et Serv., rec. Wagner et Ribbeck || 561 *Serestum*] cf. ad IV 288 || 573 *properi* Pieriani plerique, prob. Bentley || 582 *haec iam altera* M², rec. Wagn. et Haupt || 605 *floros* Probus: *flavos* libri Vergiliani, rec. Wagner. cf. lect. Verg. p. 362 sqq. || 609 *it*] *et* coni. Peerlkamp, rec. Haupt, significans, ni fallor, ea re, post v. 611 hiatum esse, qui XI 471 sq. ad dictis inepte expletus sit || v. 612 sq. om. MPR^{1γb}, secl. Haupt, Ribbeck, Albrecht l. l. p. 426, def. Wagner exc. IV ed. mai. p. 850 sqq. || 617 *huc* coni. Madvig advers. crit. II p. 45: *hunc* libri || 641 *nostrum* ne P, rec. Ribbeck || 647 *aversa* Myb: *aversa* reliqui libri, rec. Ribbeck || 648 *nescia* Menag. alter et Goth. tertius, rec. Ribbeck, Haupt, Ladewig; sed cf. Wagn. lect. Verg. p. 364 et Bergk opuse. I p. 256 adnot. 15 || 661 *Asilas* cod. Prag., prob. Ribbeck et Kuřčala V. St. p. 265 || 662 *acies* My: *aciem* reliqui libri, rec. Ribbeck || 709 *cernere* P¹, testantur Seneca epist. 58, 3 et Servius: *decernere* reliqui libri Vergilii || post v. 732 lacunam indicavit Ribbeck, Madvig advers. crit. II p. 46 sic locum distinguit *frangitur . . . ictu. ni fuga subsidio, subeat. fugit ocior* Euro c. q. s. 'ictum, quem inferre non potuit, ipse subeat, ni fugae subsidio utatur.' || 741 *resplendent* *fragmina* M^{1Pγ}: *resplendet* *fragmen* M^{2R}, rec. Wagner et Haupt || 744 *Teucridensa* M, rec. iidem || 746 *tardante* M^{2c}: *tardata* reliqui libri, rec. Ribbeck || 784 *conversa* PM², rec. Haupt et Ladewig || 790 *certamine* Servius commemorat || 801 *ne* be et Servii libri: *ne* MP^{2γ} Diomedes p. 362, 24 K. *ni* P¹. *edū* P^{1γ}¹ Diomedes. *ni te tantus edit t. d.* edidit Ribbeck et v. 801 sq. post v. 832 collocavit || 830 *es*] *et* Bentley || 835 *sanguine tanto* R, *corpore tanto* Menag. pr., Mentel. tert., Goth. tert., prob. Bentley || 873 *an aut quid iam curae superat mihi?* cf. Georg. III 286 || 883 *alta* e et non nulli Pierii et Heinssii libri, prob. Bentley, rec. Wagner et Haupt: *ima* MRP^{1γ}, rec. Ribbeck || *deliscet* P, rec. Ribbeck || 884 *demittit* P¹, *demittit* Ribbeck || 893 *clausumve* P, rec. Ribbeck || 904 *tollentemque* M^{1e} || *manu* Pbc: *manus* MR¹, rec. Ribbeck || *saxumque* γc: *saxumve* reliqui libri, rec. Ribbeck || 916 *letumque* P, rec. idem

|| 918 *aurigamque* Ry: *aurigamve*
MPc, rec. idem || 930 *supplex oculos*
PRy², rec. idem. ||

Catalepton carmina ut in hoc exemplari multo integriora quam in superioribus ederentur, Francisci Buecheleri opera effectum est, qui commentatione musei Rhenani volumini XXXVIII inserta de his carminibus interpretandis et emendandis admirabili ingenii acumine et doctrina praecipit. in Culice Ciri Copa Moreto edendis Mauricii Hauptii recensione secutus sum: ab ea ubi discedendum esse putavi, id quo auctore factum sit in adnotatione indicatum est. Ribbeckii et Baehrensii emendationes exemplaria eorum suppeditaverunt. de Ciri emendanda Robertus Unger commentatione programmati gymnasii Halensis a. 1885 addita doctissime exposuit. ad idem carmen et ad Culicem memorabiles quasdam coniecturas amice mecum communicavit Hugo Stadtmueller.

Librorum scripturas, quae quidem proferendae esse videbantur, e Baehrensii apparatu plerumque deprompsi: cui praesto fuerunt in Catalepton carminibus recensendis libri Bruxellensis saec. XII (B) et Italicorum (I) saec. XV Helmstadiensis (H), Monacensis (M), Arundelianus (A), Rehdigeranus (R); in Culice Vossianus L. O. 81 saec. XV (V), Bembinus saec. IX (B), Cantabrigiensis saec. X—XI (C), Helmstadiensis (H); in Ciri Bruxellensis (B) a versu 454, Helmstadiensis (H), Arundelianus (A), Rehdigeranus (R), Vaticanus Pomponii Laeti saec. XV (L); in Copa Vossianus L. O. 81 (V), fragmentum Stabulense saec. XI (S), Bembinus (B), Parisinus 7927 saec. X (P), Monacenses 305 saec. XI 18059 saec. XI 21562 saec. XII ex uno fonte derivati (M), Helmstadiensis (H); in Moreto Bembinus, Stabulensis, Monacenses, Parisinus 16236, Vindobonensis 134, Helmstadiensis, Vossianus.

Catalepton carm. II emendavit et interpretatus est Buecheler l. I. p. 507 sqq., Hauptius ut in libris scriptum est edidit. III (XII) 5 *tibi iam Romane* Buecheler p. 513: *tibi iam Roma* B *tibi iam tibi Roma* Itali, rec. Haupt || 9 *nutu* et 10 *dedit* libri, quod defendit Buecheler p. 512: *ritu* et *ruit* Haupt || IV (XIII) 10 *tam Casaubonus: nam libri. Clio nam per te caudila nunc loquitur* Baehrens || 12 *nam libri* || *causa* Baehrens: *contra libri* || *unde libri. non contra ut sit amor mutus inde mihi* vulgo || V (VII) 2 *rhoiso* B *roso* HM: *rore* vulgo. *rhoso* defendit Buecheler p. 514 || 3 *Stiloque* Haupt || 6 *cura* causa Haupt || 11 *ite iam sane* Haupt: *iam ite sane* B. post 'sane' distinguendum esse docuit Buecheler p. 513 || 12 *fatebitur* B, mutari vetat Buecheler p. 513 sq. || VI (III) 3 *et tuo libri: heu tuo* Scaliger *ah tuo* Oudendorp *ei tuo* Haupt || VII (IX) 2 *putus* Scaliger: *pothus* BHM, defendit ita ut graecis litteris exaretur F. Spiro sentent. contr. X dissertationi de Eurip. Phoeniss. Berol. 1884 addita, *potus* AR, *nothus* Baehrens || IX (XI) 7 *vestros libri: nostros* vulgo || 15 *Phrygium* Heinsius et Markland ad Stat. silv. III 4, 103: *preiũ* B (man. sec.) *piliũ* AR, *Pyliũ* Wagner et Haupt || 21 *divi* I. Dousa (*diuei* Baehrens): *diue* B *diue* vel *diuae* Italicorum libri, *divae* Haupt || 22 *quoque* B (cf. Buecheler l. I. p. 515): *quaeque* Italicorum libri, prob. Haupt || 23 *o te* B: *tot* HM *tanto* AR, prob. Haupt || 29 *volucrum* vulgo: *multum* libri || *certamine equorum* AR *certamine quorum* BHM || 30 *Graiae* vulgo: *gravide* libri (nisi quod *gravidae* R) || *quam* vulgo: *quid* B *quod* Italicorum libri. *non defensa diũ* (*multum certamen equorum optabant gravidae quid sibi quaeque manus?*) Buecheler p. 515 sq. || 32 *similis* libri def. Buecheler p. 516: *Eleis* vulgo || 43 *te castra* Buecheler p. 517: *castra* B, *solitos* Italicor. libri || 44 *hoc gnato* B, def. Buecheler p. 516: *hoc nato* AR *ac irato* HM *hoc Latio* Wernicke, rec. Haupt || 46 *sternere* libri, def. Buecheler p. 517: *stertere*

vulgo || 47 *perlabi* vulgo: *perlabens* libri || 51 *periure* B²HM: *periuria* AR *per niri* B¹, inde *pernici milite agendos* Baehrens || 57 *ferent* Itolor. libri: *ferunt* B, *eibunt* Baehrens || 61 post *humilis* distinguit Buecheler p. 517 || *Cyrenas*] *camenas* Haupt || X (VIII) 9 *attodisse* B ef. Buecheler mus. Rhen. XXXVII p. 528: *atondisse* H *a tondisse* M *attendisse* AR, *attotonse* Livineins, prob. Haupt || 10 *nequod horridum* Haupt: *nequid orion* B, *nequis torion* Itolor. libri, *ne Cytorio* Machly, rec. Baehrens || 19 *utrimque* Heinsius, prob. Haupt. *coeperat*] *simul reducere error a via pecus* suppl. Buecheler (l. l. p. 525), 'simul' pro certo, ludicra cetera habens || XIII (V.) 6 *adsignem* Buecheler p. 522: *adsim* libri, *alsiem* Wagner, rec. Haupt || 7 *et prostitutae* (*turpe*) *contubernio* Haupt || 19 *pulchra*] *spurca* Haupt; sed ef. Buecheler p. 522 || 21 *in stola* Buecheler p. 522: *in ratulam* B *rotulam* Itolor. libri. *nec te movere lumbulos in callula* Ribbeck, rec. Haupt || 29 *et* Baehrens: *ut* libri || 31 *dote* AHM: *docte* BR, *nocte* Scaliger, rec. Haupt || 32 *osusque* HM: *hossusque* AR *osiculisque* B *os usque* Scaliger, rec. Haupt. de v. 31 sq. conferenda sunt quae Buecheler l. l. p. 522 disputavit || 35 *cinaede Luciene* Buecheler p. 520: *cine delucciam te* B *cinae dulcissimam et* HM *cine dulcissima* AR *cinaede Luci, ante* vulgo || *liquerunt* B: *liquere* HM *reliquerunt* vulgo || 39 *herniosi* Scaliger; cf. Buecheler p. 520 sq. || XIV (VI) 9 *aut*] *dea* Heinsius, rec. Haupt || 12 *ara* BHM: *ora* AR; cf. Buecheler l. l. p. 523 sq. ||

Culex 3 *sunt* CV, rec. Baehrens || 4 *omnis at historicae p. l. c. o. notitiae* con. Baehrens || 19 *ludente* libri praeter C, qui *laudente* exhibet: inde *plaudente* Bembus, rec. plerique || 20 *bona turba* Heinsius: *ventura* libri; *votiva*, alteram Heinsii coniecturam, rec. Haupt || 21 *voti secura tuere* Baehrens: *bona secura (fetura V) sit cura* BCV; *agrestum bona gens secure rura tenentum* Haupt || *caementem* Heinsius: *tenentes* BCV, *tenentem* Baehrens. *et te, sancta Pales, ad quam cum ture recurrit agrestum bona gens, oro sit cura caementis* Stadtmueller || 22 *tractus Bembus: cultus* libri, *saltus* vulgo || 24 *et, cuius monitis o. f. c. O. v. meis, a. c.* Baehrens || 26 *sancte pater* Baehrens || *tibi namque canit non pagina bellum* libri: *t. n. humilis conamine primo* Ribbeck, *t. n. sonant nunc carmina; quamquam* Baehrens || 35 *currens c. versus* Baehrens: *currere c. versu* libri; *mollis sed tenuis decurrens carmine versus* Haupt || 37 sqq. *Haec tibi sancte, fero; memorabilis et tibi certest Gloria . . . aevum. Serum sede piu maneat locus, et tibi sospes Debita felicitis remoretur vita per annos Fata, bonis luens* Baehrens || 59 *mente secus docta* Stadtmueller || 66 *moet* Schrader: *manet* libri, *utilitate, manum nec pocula Graium* Haupt || *Graium* Heinsius: *gratum* libri || 74 *viridi iam* Baehrens: *viridi cum* libri. *viridanti palmite ludens* Haupt (*ludens Scaliger e membrana Pirhoei*) || 80 *luero con.* Machly: *procul* libri || *censuque probato* Baehrens (*censuque iam* Heinsius): *sensuque probando* libri || 81 *adposcit* Baehrens: *agnoscit* V *agnovit* BCH. v. 80 sq. *librorum scripturas retinuit* Haupt || 105 *repebant* Scaliger, rec. Haupt; sed ef. Baehrensii adnot. || 109 *et exemplaria olim impressa: ut* libri. *haut procul accessit* Ribbeck (*accessit iam Barthius*); *nec procul ipse exit* Baehr. 'procul' est 'prope' ef. Serv. ad Aen. VI 10 et buc. VI 16 || 137 *ad-dita* Heinsius: *adita* V *edita* BCH, rec. Haupt || 138 *proceros* Heinsius: *proceras* libri, prob. Haupt || 139 *motibus* Scaliger, rec. Ribbeck et Baehrens, fortasse recte || 140 *nec* Heinsius: *et* libri. *ilicis et nigrae et s. Lethaea c.* Haupt (*alterum et add. Heyne, Lethaea con. Gifanius*) || 143 *escendunt* Heyne, rec. Baehrens || 168 *tendebant acres* Baehrens: *tollebant arte* V *tollebant aerae* BCH. *pallebant aura vementis gramina viri* Haupt || 172 *cumulatur* con. Machly, rec. Baehrens || 185 fortasse *qua diducta genas pandebant lumina ri-*

mam ut 'genas' accusativo, quem graecum vocant grammatici, dictum et sententia sit: qua lumina diductis genis rimam pandebant || 186 *maturatione* Bothe, rec. Ribbeck et Baehrens recte, ut videtur || 189 *sensim* V, rec. Baehrens || 193 *quam* Schrader: *qui libri, cui* Scaliger, rec. Haupt || 214 *tetris* BCH *ctetris* V, inde *certis* Baehrens || 226 *rure* Bembus: *iure* BCH *vita* V, unde *victa* Baehrens || 230 *tum* Sillig: *dum* libri, *tua* Hertzberg || 248 *supero*] *super* libri, *sequor* Birt || 259 *flumina* exempl. olim impr.: *numina* BCH *nomina* V *limina* Heyne, rec. Haupt. a. u. in d. m. (*distantia flumine cerno*), E. t. Stadtmueller || 265 *decus*] *ducis* Bothe, rec. Baehrens || 266 *incurrupta* Bembus: *concepta* libri, *consperta* Birt, non male || 281 *humo steterant amnes silvaeque* libri: *h. sequiturque comes* s. Heinsius, *h. steteratque comes* s. Hertzberg || 283 *Lunae*] *Phoebus* Ribbeck, *carmen* Schenkl || 286 sqq. *haec . . . coniunx Eurydicenque ultro dicebas reddere: non fas, non erat in vitam ius exorabile mortis* Baehrens, post v. 288 aliquot versus intercidisse statuens || v. 295 post v. 292 collocavit Ribb.; *tuum grave* idem || 294 *veniam* Baehrens: *gratum* libri. *dignus amor venia; gratum, si Tartara nollent peccatum meminisse. at nos (grave) sede piorum, nos m. h. c. m.* cum Silligo Haupt || 296 *has* Ribbeck: *uos* libri, *nos* Haupt || 300 *hoc caluit Periboea* Stadtmueller || 318 *fluminibus* BCV: *fulminibus* H || *est aturbine nise* V, *aedibus in se* BC, *fulminibus caelo veluti fragor editus ingens* Scaliger, *fulminibus veluti fragor editus . . .* Haupt, *fulminibus veluti fragor atro et turbine nisus* Ribbeck, *flaminibus veluti fragor est a turbine mixtis* Baehrens. fortasse poeta Vergili Aen. XII 523 sq. imitatus scripsit *fluminibus veluti fragor est torrentibus imbre vel ingens*, non cogitans eam comparationem huic loco parum convenire. cf. etiam Aen. X 603 || 319 *taedisque* Heinsius, rec. Baehrens || *si classibus Argos* Bembus: *sigeaque praeter e* v. 307 libri || 322 *erat*] *sedet* Ribbeck

|| *vultu*] *alter Bembus* || 330 *Laestrygone natos* Ribbeck ed. min. || 334 *generamen prolis* Ribbeck ed. mai., rec. Haupt et Baehrens: *generam probis* V, *gener amplis* BC, *genus iam plisten* H. *hic et Tantalei generis decus, amplus Atrida* Ribbeck ed. min. *h. e. Tantalei generis Pelopeus Atrida* Stadtmueller || 357 *omnis . . . fluctu* V: *fluctuat omnis in aequore naufragia luctu* BCH (nisi quod *aequore naufraga* H), *fluctuat omnis in aequoreo navifraga tractu* Haupt (*navifraga* Scaliger, *tractu Bembus*) || 366 sqq. *legitime cessit cui fracta potentia regis hic Curius . . . ille Flaminius, deuota dedit qui corpora flammae libri, quos Haupt ita secutus est, ut v. 366 cum Ribbecko limitibus pro legitime, v. 368 Caecilius pro Flaminius cum Nicolao Loensi scriberet. Baehrens cum Heynio sic hos versus constituit hic Curius . . . ille Fabricius, cessit cui fracta potentia regis. v. 366 Clusini pro legitime Stadtmueller || 380 et lamentu vagis Birt: et tamen ut uadis libri, et tamen etsi audis Haupt || 400 *violae genus omne* exempl. olim impr., rec. Baehr. || *Spartica* BCH, rec. Haupt. ||*

Ciris v. 5 *tum mens curet eo* H. Keil observ. crit. in Prop. p. 13, parenthesis ab hoc versu incipere cum Silligio statuens; *ut m. c. ego: tum ea (tum mea H, tu mea L) quaeret eo libri, nec mea quit Erato* Scaliger, *nunc mea fert Erato* Heinsius, *nec mea quit ratio* Haupt, *tum mens quaerit eo d. s. promere carmen* Baehrens || 10 *iure meas*] an *Parthenias*? || 12 sq. *quod si mirificum saeculis proferre valerem, mirificum mundi genus omne (o bella libido!),* Ribbeck, *quod si mirificum caelum omne sonare valerem (mirificum . . . libido),* Baehrens (*sonare valerem* Birt) || 14 *si mihi iam summas Sapiaenta panderet arces* Frisemannus, rec. Baehrens || 15 *quae heredibus vulgo: quae om. libri. mihi quae regibus pro heredibus in mentem venit. consors* haud scio an Silligius recte interpretatus sit, ut sit 'communis.' cf. georg. IV 153. *q. a. h. edita (ad-dita* Heinsius) *consors* Baehrens; sed

sententia flagitare videtur, ut v. 15 ad arcem referatur || 17 *despicere* H: *despicere* reliqui libri, rec. Haupt || 20 *libeat* Heyne: *liceat* libri, rec. Haupt || 45 *iuvenes* AH: *primos* La, rec. Haupt || 47 *promissa . . . tandem* AHR: *et promissa tuis non magna exordia rebus* La, *promissaeque diu i. t. exordia opellae* Ribbeck, *promissa atque d. i. t. exordia curae* Bachrens. *p. a. d. (iam tandem exordia prodo)* R. Unger || 53 *proque patris solvens e. f. u. L* || 72 *vacua* Bachrens: *seua* HL, *seua* A, *scuevam* R, *sicca* Haupt || 73 *castae* Schwabe et Bachrens: *carte* IIR, *care ex carce* A, *carae* L, rec. Haupt. cf. Verg. Aen. I 646 et XI 215 cum scholio Danielis || 74 *quae tamen* Bachrens || 85 *quam, male multiplici i. q. s. c. dira erat atque a. e. q. s.* Stadtmueller || 90 *somnia sunt* Heinsius: *omnia sunt* AL, *omnia sim* H, *omne suam* R, *Mnemosyne* Haupt || 92 *certos* exempl. olim impr.: *cetos* A, *caecos* R, *cocos* H, *laetos* L, rec. Haupt || 94 *alabastria* Bergk Rhein. Mus. VII p. 160: *altaria* libri, *calparia* Haupt || 125 *firmarant* Heyne: *firmarunt* libri || 130 *nec fuerat* | *profuerat* Haupt || 137 *longum est* Haupt || 139 *fera iurgia* Heinsius: *periuria* libri, rec. Haupt || 140 *ipsae* Bachrens: *se* libri, *si* Sillig, rec. Haupt || *eheu peritura puella* Bachrens: *diu periura puellae* libri (nisi quod *peritura* L) *diu perferre puellae* Haupt || 141 *non ulli vulgo: non nulli* AHR, *nulli* L || *licitam* R. Unger: *licitam* L, *liceat* AHR, rec. Haupt. *nulli non sanctam* Bachrens. *nulli nelectam v. i. legem* Stadtmueller || 149 *quoque* R. Unger: *cumque* libri || *ea lapsa est* Maehly: *relapsae* AHR, *relapsa est* Heinsius, *cumque relapsa* Haupt || 153 *tua tegmina haberes* Stadtmueller || 155 *urendo* Sillig, rec. Haupt || *iure* Heinsius: *iura* libri, *tura* Sillig, rec. Haupt || 161 (*hen nimium terret nimium Tirynthius usu*) Bachrens. *heu nimium forti nimium vibrantia nisu* Stadtmueller. *possis et ex H. Keilii et Heinsii coniecturis heu nimium certa et nimium (malim nimio) pene-*

trantia nisu || 219 *pūs*] *aspris* Stadtmueller || 227 *subedit* Markland ad Stat. silv. V 3, 258: *subegit* libri, rec. Haupt. *nec levis (haud fugit; neque enim pote) cura subedit* Stadtmueller || 236 *remorare* Haupt || 239 *ne* Schenkl: *nec* libri, rec. Haupt || 266 *quoniam tu me non* Bachrens: *quoniam tum non* A, *quoniam tunc non* H, *quoniam tu non* R, *quoniam quid non tibi* L, *quoniamque tibi non* Haupt || 279 *in Drakenboreh* ad Sil. II 31: *hinc* vel *huic* H, *hunc* ALR, rec. Haupt || 284 *incanos* Schenkl: *intonsos* libri, rec. Haupt || 290 *captiva uecta* Bachrens || 294 *a!* Bachrens: *ut* libri, rec. Haupt || 295 *meae spes una senectae* Heinrich, rec. Bachr. || 311 *manebat* Heinsius, rec. Bachr. || 484 *aeternam* B: *eximiam* Haupt || 521 *omnia qui imperio, terras mare sidera versat* Ribbeck || 531 *natique* (i. e. Cupidinis, cf. v. 133 sqq.) libri: *patrisque* Heyne, rec. Haupt.

Copa 6 *bibulo* libri, nisi quod *uiduo* Gudianus, quod plerique receperunt. *vivo* Schenkl, prob. Bachr. || 7 *obbae* Ilgen: *topia* et BMS, *copia* et HP, *cuppe* et V, *obba* et Heinsius || *calices* V: *kalibes* B, *kalybes* P, *calibes* HS, *chalibes* vel *chalybes* M, *calybae* Scaliger. *topia* et *calybae* Haupt || *umbriferis* Haupt || v. 11 ante v. 9 colloc. Ribbeck || *diffusa* HV, prob. Haupt || 13 *coronae* V, prob. Haupt || 15 *et quae* libri meliores: *sunt quae V, sunt* et Gudianus et Vossianus 849, rec. plerique || 16 *vimineis*] *quae niveis* ex iisdem libris receperunt plerique || v. 20 et 22 cum Bachrensis inter se traieci; v. 21 sq. ante v. 19 sq. colloc. Ilgen, prob. Haupt || 25 *calybita*] *eybelista* Sillig, *caligate* Bachrens || 28 *viridis* Burmann (cf. Verg. bue. II 9): *uere in vel uaria in* libri meliores etiam in V, *veprum* Haupt || 36 *ossa* Ilgen: *ista* libri, *ipse* Haupt. ||

Moretum 15 *cellae* Heyne, prob. Haupt: *clavis* libri plerique. *casulae quae p. o. clavi* Ribbeck, *clausum quae p. o. clavi* Bachrens || v. 60 secl. Ribbeck || *heros*] *herbis* Ribbeck, *escis* Bachrens.

P. VERGILI·MARONIS

BUCOLICON LIBER.

ECLOGA I.

MELIBOEUS. TITYRUS.

ME. Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena:
nos patriae finis et dulcia linquimus arva;
nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5

TI. O Meliboe, deus nobis haec otia fecit.
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10

ME. Non equidem invideo; miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. en, ipse capellas
protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, ah! silice in nuda conixa reliquit. 15

saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TI. Urbem, quam dicunt Romam, Meliboe, putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus 20
pastores ovium teneros depellere fetus.

sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.
verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi. 25

ME. Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

TI. Libertas, quae sera tamen respexit inertem,

- candidior postquam tondenti barba cadebat,
 respexit tamen et longo post tempore venit,
 30 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
 namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
 nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
 quamvis multa meis exiret victima saeptis,
 pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
 35 non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.
 ME. Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares,
 cui pendere sua patereris in arbore poma:
 Tityrus hinc aberat. ipsac te, Tityre, pinus,
 ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.
- 40 TR. Quid facerem? neque servitio me exire licebat
 nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
 hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
 bis senos cui nostra dies altaria fumant.
 hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
 45 'pascite, ut ante, boves, pueri; submitte tauros.'
 ME. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt.
 et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
 limosoque palus obducat pascua iunco.
 non insueta gravis temptabunt pabula fetas,
 50 nec mala vicini pecoris contagia laedent.
 fortunate senex, hic inter flumina nota
 et fontis sacros frigus captabis opacum.
 hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
 Hyblaeis apibus florem depasta salicti
- 55 saepe levi somnum suadebit inire susurro;
 hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
 nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
 nec gemere acria cessabit turtur ab ulmo.
- TR. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
 60 et freta destituent nudos in litore pisces,
 ante pererratis amborum finibus exul
 aut Ararim Parthus bibit aut Germania Tigrim,
 quam nostro illius labatur pectore voltus.
- ME. At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
 65 pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen
 et penitus toto divisos orbe Britannos.

en umquam patrios longo post tempore finis,
 pauperis et tuguri congestum caespite culmen
 post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
 impius haec tam culta novalia miles habebit, 70
 barbarus has segetes. en quo discordia civis
 produxit miseros: his nos consevimus agros.
 insere nunc, Meliboee, puros, pone ordine vites.
 ite meae, quondam felix pecus, ite capellae.
 non ego vos posthac viridi proiectus in antro 75
 dumosa pendere procul de rupe videbo;
 carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
 florentem cytisum et salices carpetis amaras.
 TI. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
 fronde super viridi: sunt nobis mitia poma, 80
 castaneae molles et pressi copia lactis;
 et iam summa procul villarum culmina fumant
 maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ECLOGA II.

ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
 delicias domini, nec, quid speraret, habebat.
 tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
 adsidue veniebat. ibi haec incondita solus
 montibus et silvis studio iactabat inani. 5

'O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
 nil nostri miserere? mori me denique coges.
 nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
 nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,
 Thestylis et rapido fessis messoribus aestu 10
 alia serpullumque herbas contundit olentis.
 at mecum raucis, tua dum vestigia lustris,
 sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
 nonne fuit satius, tristis Amaryllidis iras
 atque superba pati fastidia? nonne Menalcan, 15
 quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?

- o formose puer, nimium ne crede colori:
 alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
 despectus tibi sum nec, qui sim, quaeris, Alexi,
 20 quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans:
 mille meae Siculis errant in montibus agnae;
 lac mihi non aestate novum, non frigore deficit.
 canto, quae solitus, siquando armenta vocabat,
 Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
 25 nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
 cum placidum ventis staret mare; non ego Daplmim
 iudice te metuam, si numquam fallit imago.
 o tantum libeat mecum tibi sordida rura
 atque humilis habitare casas et figere cervos
 30 haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
 mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
 Pan primus calamos cera coniungere pluris
 instituit, Pan curat ovis oviumque magistros.
 nec te paeniteat calamo trivisse labellum:
 35 haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
 est mihi disparibus septem compacta cicutis
 fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim
 et dixit moriens "te nunc habet ista secundum."
 dixit Damoetas, invidit stultus Amyntas.
 40 praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
 capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
 bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
 iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
 et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
 45 huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
 ecce ferunt nymphae calathis, tibi candida nais,
 pallentis violas et summa papavera carpens,
 narcissum et florem iungit bene olentis anthi;
 tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
 50 mollia luteola pingit vaccinia caltha.
 ipse ego cana legam tenera lanugine mala
 castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
 addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;
 et vos, o lauri, carpam et te, proxima myrte,
 55 sic positae quoniam suavis miscetis odores.

rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,
 nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
 heu heu, quid volui misero mihi? floribus austrum
 perditus et liquidis inmisci fontibus apros.
 quem fugis, ah, demens? habitarunt di quoque silvas 60
 Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
 ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvae.
 torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
 florentem cytisum sequitur lasciva capella,
 te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas. 65
 aspice, aratra iugo referunt suspensa iuveni,
 et sol crescentis decedens duplicat umbras:
 me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
 ah, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit?
 semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est. 70
 quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
 viminibus mollique paras detexere iunco?
 inuenies alium, si te hic fastidit, Alexim.'

ECLOGA III.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

ME. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
 DA. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
 ME. Infelix o semper, ovis, pecus! ipse Neaeram
 dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
 hic alienus ovis custos bis mulget in hora, 5
 et sucus pecori et lac subducitur agnis.
 DA. Parcius ista viris tamen obicienda memento.
 novimus et qui te, transversa tumentibus hircis,
 et quo (sed faciles nymphae risere) sacello.
 ME. Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis 10
 atque mala vitis incidere falce novellas.
 DA. Aut hic ad veteris fagos cum Daphnidis arcum
 fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
 et cum vidisti puero donata, dolebas,
 et si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15

ME. Quid domini faciant, audent cum talia fures?
 non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
 excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
 et cum clamarem 'quo nunc se proripit ille?

20 Tityre, coge pecus,' tu post carecta latebas.

DA. An mihi cantando victus non redderet ille,
 quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
 si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
 ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

25 ME. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
 iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
 stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DA. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
 experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
 30 bis venit ad multram, binos alit ubere fetus)
 depono: tu dic, mecum quo pignore certos.

ME. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
 est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
 bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.

35 verum, id quod multo tute ipse fatebere maius,
 (insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
 fagina, caelatum divini opus Alcimedontis;
 lenta quibus torno facili superaddita vitis
 diffusos hedera vestit pallente corymbos.

40 in medio duo signa, Conon et — quis fuit alter,
 descripsit radio totum qui gentibus orbem,
 tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
 necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DA. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
 45 et molli circum est ansas amplexus acantho,
 Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis;
 necdum illis labra admovi, sed condita servo:
 si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

ME. Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
 50 audiat haec tantum — vel qui venit ecce Palaemon.
 efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DA. Quin age, siquid habes; in me mora non erit ulla,
 nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
 sensibus haec inis (res est non parva) reponas.

PA. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba. 55
 et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
 nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
 incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca:
 alternis dicetis; amant alterna camenae.

DA. Ab Iove principium musae: Iovis omnia plena; 60
 ille colit terras, illi mea carmina curae.

ME. Et me Phoebus amat; Phoebosua semper apud me
 munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

DA. Malo me Galatea petit, lasciva puella,
 et fugit ad salices, et se cupit ante videri. 65

ME. At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
 notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DA. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
 ipse locum, aerae quo congessere palumbes.

ME. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta 70
 aurea mala decem misi: cras altera mittam.

DA. O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
 partem aliquam, venti, divom referatis ad auris.

ME. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
 si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75

DA. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
 cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

ME. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit,
 et longum 'formose, vale, vale' inquit, 'Iolla.'

DA. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80
 arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

ME. Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
 lenta salix fetor pecori, mihi solus Amyntas.

DA. Polio amat nostram, quamvis est rustica, musam:
 Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85

ME. Polio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
 iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

DA. Qui te, Polio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
 mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

ME. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi, 90
 atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.

DA. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
 frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

ME. Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
95 creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccatur.

DA. Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

ME. Cogite ovis, pueri: si lac praeceperit aestus,
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

100 DA. Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

ME. His certe neque amor causa est; vix ossibus haerent.
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

DA. Dic, quibus in terris (et eris mihi magnus Apollo)
105 tris pateat caeli spatium non amplius ulnas.

ME. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
nascantur flores, et Phyllida solus habeto.

PA. Non nostrum inter vos tantas componere lites:
et vitula tu dignus et hic. et quisquis amores
110 aut metuet dulcis aut experietur amarus.
claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

ECLOGA IV.

POLIO.

Sicelides musae, paulo maiora canamus.
non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
5 magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.
iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna;
iam nova progenies caelo demittitur alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
10 casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.
teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
Polio, et incipient magni procedere menses;
te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
inrita perpetua solvent formidine terras.
15 ille deum vitam accipiet divisque videbit

permixtos heroas et ipse videbitur illis
 pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
 at tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
 errantis hederas passim cum baccare tellus
 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20
 ipsae lacte domum referent distenta capellae
 ubera nec magnos metuent armenta leones.
 ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
 occidet et serpens, et fallax herba veneni
 occidet; Assyrium volgo nascetur amomum. 25
 at simul heroum laudes et facta parentis
 iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
 molli paulatim flavescet campus arista
 incultisque rubens pendebit sentibus uva
 et durae quercus sudabunt roscida mella. 30
 pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
 quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
 oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
 alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
 delectos heroas, erunt etiam altera bella 35
 atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
 hinc ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
 cedit et ipse mari vector, nec nautica pinus
 mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
 nou rastos patietur humus, non vinea falcem; 40
 robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
 nec varios discet mentiri lana colores,
 ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
 murice, iam croceo mutabit vellera luto;
 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45
 'taliam saecula' suis dixerunt 'currite' fuis
 concordem stabili fatorum numine parcae.
 adgrede o magnos (aderit iam tempus) honores,
 cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
 aspice convexo nutantem pondere mundum 50
 terrasque tractusque maris caelumque profundum;
 aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo.
 o mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
 spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:

- 55 non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
 nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
 Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
- 60 incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
 matri longa decem tulerunt fastidia menses.
 incipe, parve puer: cui non risere parentes,
 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

ECLOGA V.

MENALCAS. MOPSUS.

- ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
 tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
 hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
- Mo. Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,
 5 sive sub incertis zephyris motantibus umbras,
 sive antro potius succedimus. aspice, ut antrum
 silvestris raris sparsit labrusca racemis.
- ME. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
- Mo. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
- 10 ME. Incipe, Mopse, prior, siquos aut Phyllidis ignes
 aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.
 incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.
- Mo. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
 carmina descripsi et modulans alterna notavi,
 15 experiar. tu deinde iubeto ut certet Amyntas.
- ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
 puniccis humilis quantum saliunca rosetis,
 iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
 sed tu desine plura, puer: successimus antro.
- 20 Mo. Extinctum nymphae crudeli funere Daphnim
 flebant (vos coryli testes et flumina nymphis),
 cum complexa sui corpus miserabile nati
 atque deos atque astra vocat crudelia mater.
 non ulli pastos illis egere diebus

frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque annem 25
 libavit quadrupes nec graminis attigit herbam.
 Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
 interitum montesque feri silvaeque loquuntur.
 Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
 instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi 30
 et foliis lentas intexere mollibus hastas.
 vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
 ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
 tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt,
 ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo. 35
 grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
 infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
 pro molli viola, pro purpureo narcisso
 carduus et spinis surgit paliurus acutis.
 spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, 40
 pastores (mandat fieri sibi talia Daphnis),
 et tumulum facite et tumulo superaddite carmen:
 'Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
 formosi pecoris custos, formosior ipse.'
 ME. Tale tuum carmen nobis, divine poeta, 45
 quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
 dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
 nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum.
 fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
 nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim 50
 dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra,
 Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
 Mo. An quicquam nobis tali sit munere maius?
 et puer ipse fuit cantari dignus et ista
 iam pridem Stimichon laudavit carmina nobis. 55
 ME. Candidus insuetum miratur limen Olympi
 sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
 ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
 Panaque pastoresque tenet dryadasque puellas.
 nec lupus insidias pecori nec retia cervis 60
 ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
 ipsi lactitia voces ad sidera iactant
 intonsi montes, ipsae iam carmina rupes,

- ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
 65 sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
 ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
 pocula bina novo spumantia lacte quotannis
 craterasque duos statuam tibi pinguis olivi,
 et multo in primis hilarans convivia Baccho,
 70 ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra
 vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
 cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon,
 saltantis satyros imitabitur Alphisiboeus.
 haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota
sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.
tum pater aeterno fatur devinctus amore:

395 ‘quid causas petis ex alto? fiducia cessit
quo tibi, diva, mei? similis si cura fuisset,
tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
nec pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
stare decemque alios Priamum superesse per annos.
400 et nunc, si bellare paras atque haec tibi mens est,
quidquid in arte mea possum promittere curae,

quod fieri ferro liquidove potest electro,
 quantum ignes animaeque valent, absiste precando
 viribus indubitare tuis.' ea verba locutus
 optatos dedit ampléxus placidumque petivit 405
 coniugis infusus gremio per membra soporem.

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
 curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
 cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
 inpositum, cinerem et sopitos suscitatur ignes, 410

noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
 exercet penso, castum ut servare cubile
 coniugis et possit parvos educere natos:
 haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
 mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. 415

insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
 erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis,
 quam subter specus et Cycloperum exesa caminis
 antra Aetnaea tonant validique incudibus ictus
 auditi referunt gemitus striduntque cavernis 420

stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat,
 Volcani domus et Volcania nomine tellus.
 hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto.
 ferrum exercebant vasto Cycloperum in antro,
 Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon. 425

his informatum manibus iam parte polita
 fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo
 deicit in terras, pars imperfecta manebat.
 tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
 addiderant, rutili tris ignis et alitis austri. 430

fulgores nunc terrificos sonitumque metumque
 miscebant operi flammisque sequacibus iras.
 parte alia Marti currumque rotasque volucris
 instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes,
 aegidaque horrifera, turbatae Palladis arma, 435

certatim squamis serpentum auroque polibant,
 conexosque anguis ipsamque in pectore divae
 Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
 'tollite cuncta' inquit 'coeptosque auferte labores,
 Aetnaei Cycloperum, et huc advertite mentem: 440

arma acri facienda viro. nunc viribus usus,
 nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
 praecipitate moras.' nec plura effatus; at illi
 ocius incubuere omnes pariterque laborem
 445 sortiti. fluit aes rivis aurique metallum
 volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
 ingentem clipeum informant, unum omnia contra
 tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
 impediunt. alii ventosis follibus auras
 450 accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
 aera lacu. gemit inpositis incudibus antrum.
 illi inter sese multa vi bracchia tollunt
 in numerum versantque tenaci forcipe massam.

Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
 455 Euandrum ex humili tecto lux suscitatur alma
 et matutini volucrum sub culmine cantus.
 consurgit senior tunicaque inducitur artus
 et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
 tum lateri atque umeris Tegeaeum subligat ensem,
 460 demissa ab laeva pantherae terga retorquens.
 nec non et gemini custodes limine ab alto
 praecedunt gressumque canes comitantur erilem.
 hospitis Aeneae sedem et secreta petebat
 sermonum memor et promissi muneris heros:
 465 nec minus Aeneas se matutinus agebat:
 filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
 congressi iungunt dextras mediisque residunt
 aedibus et licito tandem sermone fruuntur.
 rex prior haec:

470 'maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam
 res equidem Troiae victas aut regna fatebor,
 nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
 exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,
 hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.
 475 sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
 iungere castra paro, quam fors inopina salutem
 ostentat. fatis huc te poscentibus adfers.
 haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
 urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam

gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis. 480
 hanc multos florentem annos rex deinde superbo
 imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
 quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
 effera? di capiti ipsius generique reservent!
 mortua quin etiam iungebat corpora vivis, 485
 componens manibusque manus atque oribus ora,
 tormenti genus, et sanie taboque fluentis
 complexu in misero longa sic morte necabat.
 at fessi tandem cives infanda furentem
 armati circumstant ipsumque domumque, 490
 obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
 ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros
 confugere et Turni defendier hospitis armis.
 ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis,
 regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt. 495
 his ego te, Aenea, ductorem milibus addam.
 toto namque fremunt condensae litore puppes,
 signaque ferre iubent; retinet longaevus haruspex
 fata canens "o Maeoniae delecta iuventus,
 flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem 500
 fert dolor et merita accendit Mezentius ira,
 nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
 externos optate duces." tum Etrusca resedit
 hoc acies campo, monitis exterrita divom.
 ipse oratores ad me regnique coronam 505
 cum sceptro misit mandatque insignia Tarchon,
 succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.
 sed mihi tarda gelu saecisque effeta senectus
 invidet imperium seraeque ad fortia vires.
 natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella 510
 hinc partem patriae traheret. tu, cuius et annis
 et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
 ingredi, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.
 hunc tibi praeterea, spes et solacia nostri,
 Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro 515
 militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
 adsuescat, primis et te miretur ab annis.
 Arcadas huic equites bis centum, roboraque pubis

lecta, dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.'

- 520 Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
 Aeneas Anchisiades et fidus Achates
 multaque dura suo tristi cum corde putabant,
 ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.
 namque improviso vibratus ab aethere fulgor
 525 cum sonitu venit et rucere omnia visa repente
 Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
 suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens;
 arma inter nubem caeli in regione serena
 per sudum rutilare vident et pulsa tonare.
 530 obstipuerunt animis alii, sed Troius heros
 agnovit sonitum et divae promissa parentis.
 tum memorat 'ne vero, hospes, ne quaere profecto,
 quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo;
 hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
 535 si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras
 laturam auxilio.
 heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
 quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
 scuta virum galeasque et fortia corpora volves,
 540 Thybri pater! poscant acies et foedera rumpant.'
- Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto
 et primum Herculeis sopitas ignibus aras
 excitat hesternumque larem parvosque penates
 laetus adit; mactant lectas de more bidentis
 545 Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.
 post hinc ad navis graditur sociosque revisit:
 quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
 praestantis virtute legit; pars cetera prona
 fertur aqua segnisque secundo defluit amni,
 550 nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
 dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
 ducunt exortem Aeneae, quem fulva leonis
 pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.
 Fama volat parvam subito volgata per urbem,
 555 ocius ire equites Tyrrheni ad litora regis.
 vota metu duplicant matres, propiusque periculo
 it timor et maior Martis iam apparet imago.

tum pater Euandrus dextram complexus euntis
 haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur:
 ‘o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos, 560
 qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
 stravi scutorumque incendi victor acervos
 et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,
 nascenti cui tris animas Feronia mater
 (horrendum dictu) dederat, terna arma movenda 565
 (ter Leto sternendus erat; cui tum tamen omnis
 abstulit haec animas dextra et totidem exiit armis):
 non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
 nate, tuo, neque finitimo Mezentius umquam
 huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset 570
 funera, tam multis viduasset civibus urbem.
 at vos, o superi, et divom tu maxime rector
 Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis
 et patrias audite preces: si numina vestra
 incolumem Pallanta mihi, si fata reservant, 575
 si visurus eum vivo et venturus in unum,
 vitam oro, patior quemvis durare laborem.
 sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
 nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam,
 dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri, 580
 dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,
 complexus teneo, gravior neu nuntius auris
 volneret.’ haec genitor digressu dicta supremo
 fundebat, famuli conlapsum in tecta ferebant.

Iamque adeo exierat portis equitatus apertis, 585
 Aeneas inter primos et fidus Achates,
 inde alii Troiae proceres, ipse agmine Pallas
 in medio, chlamyde et pictis conspectus in armis,
 qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
 quem Venus ante alios astrorum diligit ignis, 590
 extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.
 stant pavidae in muris matres oculisque sequuntur
 pulveream nubem et fulgentis aere catervas.
 olli per dumos, qua proxima meta viarum,
 armati tendunt; it clamor et agmine facto 595
 quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
 religione patrum late sacer; undique colles
 inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt.

600 Silvano fama est veteres sacrasse Pelagos,
 arborum pecorisque deo, lucumque diemque,
 qui primi finis aliquando habuere Latinos.
 haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
 castra locis celsoque omnis de colle videri
 605 iam poterat legio et latis tendebat in arvis.
 huc pater Aeneas et bello lecta iuventus
 succedunt fessique et equos et corpora curant.

At Venus aetherios inter dea candida nimbos
 dona ferens aderat; natumque in valle reducta
 610 ut procul e gelido secretum flumine vidit,
 talibus adfata est dictis seque obtulit ultro:
 'en perfecta mei promissa coniugis arte
 munera, ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
 aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.'
 615 dixit et amplexus natî Cytherea petivit,
 arma sub adversa posuit radiantia quercu.
 ille, deae donis et tanto laetus honore,
 expleri nequit atque oculos per singula volvit
 miraturque interque manus et brachia versat
 620 terribilem cristis galeam flammisque vomentem
 fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
 sanguineam, ingentem, qualis cum caerulea nubes
 solis inardescit radiis longeque refulget;
 tum levis ocreas electro auroque recocto
 625 hastamque et clipei non enarrabile textum.
 illic res Italas Romanorumque triumphos
 haud vatum ignarus venturique inscius aevi
 fecerat ignipotens, illic genus omne futurae
 stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.
 630 fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
 procubuisse lupam, geminos huic ubera circum
 ludere pendentis pueros et lambere matrem
 inpavidos, illam tereti cervice reflexa
 mulcere alternos et corpora fingere lingua.
 635 nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas

consessu caveae, magnis circensibus actis,
 addiderat subitoque novum consurgere bellum
 Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.
 post idem inter se posito certamine reges
 armati Iovis ante aram paterasque tenentes 640
 stabant et caesa iungebant foedera porca.
 haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae
 distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!)
 raptabatque viri mendacis viscera Tullus
 per silvam et sparsi rorabant sanguine vepres. 645
 nec non Tarquinius eiectum Porsenna iubebat
 accipere ingentique urbem obsidione premebat,
 Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
 illum indignanti similem similemque minanti
 aspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles 650
 et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
 in summo custos Tarpeiae Manlius arcis
 stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat
 Romuleoque recens horrebat regia culmo.
 atque hic auratis volitans argenteus anser 655
 porticibus Gallos in limine adesse canebat;
 Galli per dumos aderant arcemque tenebant,
 defensi tenebris et dono noctis opacae:
 aurea caesaries ollis atque aurea vestis,
 virgatis lucent sagulis, tum lactea colla 660
 auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant
 gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
 hic exultantis salios nudosque lupercos
 lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo
 extuderat, castae ducebant sacra per urbem 665
 pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
 Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
 et scelerum poenas et te, Catilina, minaci
 pendentem scopulo furiarumque ora trementem;
 secretosque pios, his dantem iura Catonem. 670
 haec inter tumidi late maris ibat imago,
 aurea, sed fluctu spumabant caerulea cano,
 et circum argento clari delphines in orbem
 aequora verrebant caudis aestumque secabant.

- 675 in medio classis aeratas, Actia bella,
 cernere erat totumque instructo Marte videres
 fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.
 hinc Augustus agens Italos in proclia Caesar
 cum patribus populoque, penatibus et magnis dīs,
 680 stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammās
 laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus.
 parte alia ventis et dis Agrippa secundis
 arduus agmen agens, cui, belli insigne superbum,
 tempora navali fulgent rostrata corona.
 685 hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
 victor ab Aurorae populis et litore rubro,
 Aegyptum viresque Orientis et ultima secum
 Bactra vehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
 una omnes ruere ac totum spumare reductis
 690 convolsū remis rostrisque tridentibus aequor.
 alta petunt; pelago credas innare revolsas
 Cycladas aut montis concurrere montibus altos:
 tanta mole viri turritis puppibus instant.
 stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
 695 spargitur, arva nova Neptunia caede rubescunt.
 regina in mediis patrio vocat agmina sistro
 necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.
 omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
 contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
 700 tela tenent. saevit medio in certamine Mavors
 caelatus ferro tristesque ex aethere Dirae,
 et scissa gaudens vadit Discordia palla,
 quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
 Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
 705 desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
 omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
 ipsa videbatur ventis regina vocatis
 vela dare et laxos iam iamque inmittere funis.
 illam inter caedes pallentem morte futura
 710 fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri,
 contra autem magno maerentem corpore Nilum
 pandentemque sinus et tota veste vocantem
 caeruleum in gremium latebrosaue flumina victos.

at Caesar, triplici invecus Romana triumpho
 moenia, dis Italis votum immortale sacrabat, 715
 maxima tercentum totam delubra per urbem.
 laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
 omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
 ante aras terram caesi stravere iuveni.
 ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi, 720
 dona recognoscit populorum aptatque superbis
 postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
 quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
 hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
 hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos 725
 finxerat, Euphrates ibat iam mollior undis,
 extremique hominum Morini Rhenusque bicornis
 indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.
 talia per clipeum Volcani, dona parentis,
 miratur rerumque ignarus imagine gaudet, 730
 attollens umero famamque et fata nepotum.

AENEIDOS

LIBER IX.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
 Irim de caelo misit Saturnia Iuno
 audacem ad Turnum. Iuoco tum forte parentis
 Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
 ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est: 5
 'Turne, quod optanti divum promittere nemo
 auderet, volvenda dies en attulit ultro.
 Aeneas urbe et sociis et classe relicta
 scepra Palatini sedemque petit Euandri.
 nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes 10
 Lydorumque manum collectos armat agrestis.
 quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
 rumpe moras omnis et turbata arripe castra.'

- dixit et in caelum paribus se sustulit alis
 15 ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
 adgnovit iuvenis duplicisque ad sidera palmas
 sustulit ac tali fugientem est voce secutus:
 'Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam
 detulit in terras? unde haec tam clara repente
 20 tempestas? medium video discedere caelum
 palantisque polo stellas. sequor omina tanta,
 quisquis in arma vocas.' et sic effatus ad undam
 processit summoque hausit de gurgite lymphas,
 multa deos orans, oneravitque aethera votis.
- 25 Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
 dives equum, dives pictai vestis et auri
 (Messapus primas acies, postrema coercent
 Tyrrhidae iuvenes, medio dux agmine Turnus),
 ceu septem surgens sedatis amnibus altus
 30 per tacitum Ganges aut pingui flumine Nilus
 cum refluit campis et iam se condidit alveo.
 hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
 prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.
 primus ab adversa conclamat mole Caicus
 35 'quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
 ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros,
 hostis adest, heia!' ingenti clamore per omnis
 condunt se Teucri portas et moenia conplent.
 namque ita discedens praeceperat optimus armis
 40 Aeneas, siqua interea fortuna fuisset,
 neu struere auderent aciem neu credere campo;
 castra modo et tutos servarent aggere muros.
 ergo etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
 obiciunt portas tamen et praecepta facessunt
 45 armatique cavis expectant turribus hostem.
 Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
 viginti lectis equitum comitatus, et urbi
 improvisus adest: maculis quem Thracius albis
 portat equus cristaque tegit galea aurea rubra.
 50 'ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem?
 en' ait et iaculum attorquens emittit in auras,
 principium pugnae, et campo sese arduus infert.

clamore excipiunt socii fremituque sequuntur
 horrisono; Teucrum mirantur inertia corda,
 non aequo dare se campo, non obvia ferre 55
 arma viros, sed castra fovere. huc turbidus atque huc
 lustrat equo muros aditumque per avia quaerit.
 ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
 cum fremit ad caulas, ventos perpressus et imbres,
 nocte super media; tuti sub matribus agni 60
 balatum exercent; ille asper et improbus ira
 saevit in absentis; collecta fatigat edendi
 ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
 haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
 ignescunt irae, duris dolor ossibus ardet. 65
 qua temptet ratione aditus et quae via clausos
 excutiat Teucros vallo atque effundat in aequum?
 classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
 aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis,
 invadit sociosque incendia poscit ovantis 70
 atque manum pinu flagranti fervidus implet.
 tum vero incumbunt (urget praesentia Turni)
 atque omnis facibus pubes accingitur atris.
 diripuere focos; piceum fert fumida lumen
 taeda et commixtam Volcanus ad astra favillam. 75

Quis deus, o musae, tam saeva incendia Teucris
 avertit? tantos ratibus quis depulit ignis?
 dicite. prisca fides facta, sed fama perennis.
 tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
 Aeneas classem et pelagi petere alta parabat, 80
 ipsa deum fertur genetrix Berecynthia magnum
 vocibus his adfata Iovem: 'da, nate, petenti,
 quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
 pinea silva mihi, multos dilecta per annos,
 lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant, 85
 nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
 has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret,
 laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit.
 solve metus atque hoc precibus sine posse parentem,
 neu cursu quassatae ullo neu turbine venti 90
 vincantur; prosit nostris in montibus ortas.'

filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
 'o genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
 mortaline manu factae immortale carinae
 95 fas habeant certusque incerta pericula lustret
 Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
 inmo ubi defunctae finem portusque tenebunt
 Ausonios olim, quaecumque evaserit undis
 Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
 100 mortalem eripiam formam magnique iubebo
 aequoris esse deas, qualis Nereia Doto
 et Galatea secant spumantem pectore pontum.'
 dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris,
 per pice torrentis atraque voragine ripas
 105 adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.

Ergo aderat promissa dies et tempora parcae
 debita complerant, cum Turni iniuria Matrem
 admonuit ratibus sacris depellere taedas.
 hic primum nova lux oculis offulsit et ingens
 110 visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus
 Idaeique chori; tum vox horrenda per auras
 excidit et Troum Rutulorumque agmina complet:
 'ne trepidate meas, Teuceri, defendere navis,
 neve armate manus: maria ante exurere Turno
 115 quam sacras dabitur pinus. vos ite solutae,
 ite deae pelagi; genetrix iubet.' et sua quaeque
 continuo puppes abrupunt vincula ripis
 delphinumque modo demersis aequora rostris
 ima petunt. hinc virgineae, mirabile monstrum,
 120 reddunt se totidem facies pontoque feruntur.

Obstipuere animis Rutuli, conterritus ipse
 turbatis Messapus equis, cunetatur et annis
 rauea sonans revocatque pedem Tiberinus ab alto.
 at non audaci Turno fiducia cessit;
 125 ultro animos tollit dictis atque increpat ultro:
 'Troianos haec monstra petunt, his Iuppiter ipse
 auxilium solitum eripuit, non tela neque ignes
 exspectant Rutulos. ergo maria invia Teucris
 nec spes ulla fugae: rerum pars altera adempta est,
 130 terra autem in nostris manibus; tot milia, gentes

arma ferunt Italae. nil me fatalia terrent,
 siqua Phryges prae se iactant, responsa deorum:
 sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
 fertilis Ausoniae Troes. sunt et mea contra
 fata mihi, ferro sceleratam excindere gentem, 135
 coniuge praerepta, nec solos tangit Atridas
 iste dolor solisque licet capere arma Mycenis.
 "sed periisse semel satis est:" peccare fuisset
 ante satis, penitus modo nunc genus omne perosos
 femineum. quibus haec medii fiducia valli 140
 fossarumque morae, leti discrimina parva,
 dant animos. at non viderunt moenia Troiae
 Neptuni fabricata manu considerare in ignis?
 sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
 apparat et mecum invadit trepidantia castra? 145
 non armis mihi Volcani, non mille carinis
 est opus in Teucros. addant se protinus omnes
 Etrusci socios. tenebras et inertia furta
 [Palladii, caesis summae custodibus arcis,]
 ne timeant, nec equi caeca condemur in alvo: 150
 luce palam certum est igni circumdare muros.
 haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
 esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
 nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
 quod superest, laeti bene gestis corpora rebus 155
 procure, viri, et pugnam sperate parari.
 interea vigilum excubiis obsidere portas
 cura datur Messapo et moenia cingere flammis.
 bis septem Rutuli, muros qui milite servant,
 delecti; ast illos centeni quemque sequuntur 160
 purpurei cristis iuvenes auroque corusci.
 discurrunt variantque vices fusique per herbam
 indulgent vino et vertunt crateras aenos.
 conlucent ignes, noctem custodia ducit
 insomnem ludo. 165

Haec super e vallo prospectant Troes et armis
 alta tenent, nec non trepidi formidine portas
 explorant pontisque et propugnacula iungunt,
 tela gerunt. instant Mnestheus acerque Serestus,

170 quos pater Aeneas, siquando adversa vocarent,
 rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
 omnis per muros legio, sortita periculum,
 excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est.

Nisus erat portae custos, acerrimus armis,

175 Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida
 venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis,
 et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
 non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma,
 ora puer prima signans intonsa iuventa.

180 his amor unus erat pariterque in bella ruebant;
 tum quoque communi portam statione tenebant.
 Nisus ait: 'dine hunc ardorem mentibus addunt,
 Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?
 aut pugnam aut aliquid iamdudum invadere magnum

185 mens agitat mihi nec placida contenta quiete est.
 cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.

lumina rara micant, somno vinoque soluti
 procubuere, silent late loca. percipe porro,
 quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat.

190 Aenean acciri omnes, populusque patresque,
 exposcunt mittique viros, qui certa reportent.
 si, tibi quae posco, promittunt (nam mihi facti
 fana sat est), tumulo videor reperire sub illo
 posse viam ad muros et moenia Pallantea.'

195 obstipuit magno laudum percussus amore
 Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
 'mene igitur socium summis adiungere rebus,
 Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
 non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,

200 Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
 sublatum erudiit, nec tecum talia gessi,
 magnanimum Aenean et fata extrema secutus:
 est hic, est animus lucis contemptor et istum
 qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.'

205 Nisus ad haec: 'equidem de te nil tale verebar,
 nec fas, non: ita me referat tibi magnus ovantem
 Iuppiter aut quicumque oculis haec aspicit aequis.
 sed siquis, quae multa vides discrimine tali,

siquis in adversum rapiat casusve deusve,
 te superesse velim; tua vita dignior aetas. 210
 sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum
 mandet humo, solita aut siqua id fortuna vetabit,
 absenti ferat inferias decoretque sepulchro.
 neu matri miserae tanti sim causa doloris,
 quae te sola, puer, multis e matribus ausa 215
 persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
 ille autem 'causas nequiquam nectis inanis,
 nec mea iam mutata loco sententia cedit.
 adceleremus' ait. vigiles simul excitat: illi
 succedunt servantque vices; statione relicta 220
 ipse comes Niso graditur regemque requirunt.

Cetera per terras omnis animalia somno
 laxabant curas et corda oblita laborum:
 ductores Teucrum primi et delecta iuventus
 consilium summis regni de rebus habebant, 225
 quid facerent quisve Aeneae iam nuntius esset.
 stant longis adnixa hastis et scuta tenentes
 castrorum et campi medio. tum Nisus et una
 Euryalus confestim alacres admittier orant;
 rem magnam, pretiumque morae fore. primus Iulus 230
 accepit trepidos ac Nisum dicere iussit.
 tum sic Hyrtacides: 'audite o mentibus aequis,
 Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis,
 quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
 conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi, 235
 qui patet in bivio portae, quae proxima ponto;
 interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
 erigitur; si fortuna permittitis uti,
 quaesitum Aenean et moenia Pallantea,
 mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta, 240
 adfore cernetis. nec nos via fallat euntis:
 vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
 venatu adsiduo et totum cognovimus annum.'
 hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
 'di patrii, quorum semper sub numine Troia est, 245
 non tamen omnino Teucros delere paratis,
 cum talis animos iuvenum et tam certa tulistis

- pectora' (sic memorans umeros dextrasque tenebat
amborum et voltum lacrimis atque ora rigabat).
- 250 'quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
praemia posse rear solvi? pulcherrima primum
di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
actutum pius Aeneas atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.'
- 255 'immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,'
excipit Ascanius 'per magnos, Nise, penates
Assaracique Larem et canae penetralia Vestae
obtestor: quaecumque mihi fortuna fidesque est,
in vestris pono gremiis: revocate parentem,
- 260 reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
bina dabo argento perfecta atque aspera signis
pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,
et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
- 265 si vero capere Italiam sceptrisque potiri
contigerit victori et praedae dicere sortem,
vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentis
excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.
- 270 praeterea bis sex genitor lectissima matrum
corpora captivosque dabit suaque omnibus arma,
insuper his campi quod rex habet ipse Latinus.
te vero, mea quem spatiis propioribus aetas
insequitur, venerande puer, iam pectore toto
- 275 accipio et comitem casus complector in omnis.
nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
seu pacem seu bella geram, tibi maxima rerum
verborumque fides.' contra quem talia fatur
Euryalus: 'me nulla dies tam fortibus ausis
- 280 dissimilem arguerit: tantum fortuna secunda
haud adversa cadat. sed te super omnia dona
unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
- 285 hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli est
inque salutatam linquo; nox et tua testis

dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
 at tu, oro, solare inopem et succurre relictæ.
 hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
 in casus omnis.' percussa mente dedere 290
 Dardanidæ lacrimas; ante omnis pulcher Iulus,
 atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
 tum sic effatur:
 'sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.
 namque erit ista mihi genetrix nomenque Creusæ 295
 solum defuerit, nec partum gratia talem
 parva manet. casus factum quicumque sequentur,
 per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
 quæ tibi polliceor reduci rebusque secundis,
 hæc eadem matricque tuæ generique manebunt.' 300
 sic ait inlacrimans; umero simul exiit ensem,
 auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
 Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna.
 dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
 exuvias, galeam fidus permutat Aletes. 305
 protinus armati incedunt; quos omnis euntis
 primorum manus ad portas, iuvenumque senumque,
 prosequitur votis. nec non et pulcher Iulus,
 ante annos animumque gerens curamque virilem,
 multa patri mandata dabat portanda: sed auræ 310
 omnia discerpunt et nubibus inrita donant.
 Egressi superant fossas noctisque per umbram
 castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
 exitio. passim somno vinoque per herbam
 corpora fusa vident, arrectos litore currus, 315
 inter lora rotasque viros, simul arma iacere,
 vina simul. prior Hyrtacides sic ore locutus:
 'Euryale, audendum dextra; nunc ipsa vocat res.
 hac iter est. tu, nequa manus se attollere nobis
 a tergo possit, custodi et consule longe; 320
 hæc ego vasta dabo et lato te limite ducam.'
 sic memorat vocemque premit; simul ense superbum
 Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
 exstructus toto proflabat pectore somnum,
 rex idem et regi Turno gratissimus augur; 325

- sed non augurio potuit depellere pestem.
 tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
 armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis
 nactus equis ferroque secat pendentia colla;
 330 tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit
 sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
 terra torique madent. nec non Lamyrumque Lamumque
 et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte
 luserat, insignis facie, multoque iacebat
 335 membra deo victus; felix, si protinus illum
 acquasset nocti ludum in lucemque tulisset.
 inpastus ceu plena leo per ovilia turbans
 (suadet enim vaesana fames) manditque trahitque
 molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento.
 340 nec minor Euryali caedes; incensus et ipse
 perfurit ac multam in medio sine nomine plebem,
 Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque,
 ignaros; Rhoetum vigilantem et cuneta videntem;
 sed magnum metuens se post cratera tegebat:
 345 pectore in adverso totum cui comminus ensem
 condidit adsurgenti et multa morte recepit.
 purpuream vomit ille animam et cum sanguine mixta
 vina refert moriens; hic furto fervidus instat.
 iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
 350 deficere extremum et religatos rite videbat
 carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus
 (sensit enim nimia caede atque cupidine ferri).
 'absistamus' ait; 'nam lux inimica propinquat.
 poenarum exhaustum satis est, via facta per hostes.'
 355 multa virum solido argento perfecta relinquunt
 armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
 Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
 cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
 quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
 360 Caedicius; ille suo moriens dat habere nepoti;
 post mortem bello Rutuli pugnaque potiti:
 haec rapit atque umeris nequiquam fortibus aptat.
 tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
 induit. excedunt castris et tuta capessunt.

Interea praemissi equites ex urbe Latina, 365
 cetera dum legio campis instructa moratur,
 ibant et Turno regis responsa ferebant,
 tercentum, scutati omnes, Volcente magistro.
 iamque propinquabant castris muroque subibant,
 cum procul hos laevo flectentis limite cernunt 370
 et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
 prodidit inmemorem radiisque adversa refulsit.
 haud temere est visum: conclamat ab agmine Volcens
 ‘state, viri. quae causa viae? quive estis in armis?
 quove tenetis iter? nihil illi tendere contra, 375
 sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.
 obiciunt equites sese ad divortia nota
 hinc atque hinc omnemque abitum custode coronant.
 silva fuit late dumis atque ilice nigra
 horrida, quam densi complerant undique sentes; 380
 rara per occultos lucebat semita calles.
 Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
 impediunt fallitque timor regione viarum.
 Nisus abit. iamque inprudens evaserat hostis
 atque locos, qui post Albae de nomine dicti 385
 Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat:
 ut stetit et frustra absentem respexit amicum.
 ‘Euryale infelix, qua te regione reliqui?
 quave sequar, rursus perplexum iter omne revolvens
 fallacis silvae?’ simul et vestigia retro 390
 observata legit dumisque silentibus errat.
 audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
 nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris
 pervenit ac videt Euryalum, quem iam manus omnis
 fraude loci et noctis, subito turbante tumultu, 395
 oppressum rapit et conantem plurima frustra.
 quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
 eripere? an sese medios moriturus in hostes
 inferat et pulchram properet per volnera mortem?
 ocius adducto torquens hastile lacerto, 400
 suspiciens altum, Lunam sic voce precatur:
 ‘tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
 astrorum decus et nemorum Latonia custos.

- siqua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
 405 dona tulit, siqua ipse meis venatibus auxi
 suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi,
 hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.⁷
 dixerat et toto conexus corpore ferrum
 conicit: hasta volans noctis diverberat umbras
 410 et venit aversi in tergum Sulmonis ibique
 frangitur ac fisso transit praecordia ligno;
 volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
 frigidus et longis singultibus ilia pulsat.
 diversi circumspiciunt. hoc acrior idem
 415 ecce aliud summa telum librabat ab aure.
 dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque,
 stridens, traiectoque haesit tepefacta cerebro.
 saevit atrox Volcens nec teli conspiciit usquam
 auctorem nec quo se ardens inmittere possit.
 420 'tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
 persolves amborum' inquit; simul ense recluso
 ibat in Euryalum. tum vero exterritus, amens,
 conclamat Nisus, nec se celare tenebris
 amplius aut tantum potuit perferre dolorem:
 425 'me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,
 o Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus
 nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor;
 tantum infelicem nimium dilexit amicum.'
 talia dicta dabat, sed viribus ensis adactus
 430 transabiit costas et candida pectora rumpit.
 volvitur Euryalus leto pulchrosque per artus
 it cruor inque umeros cervix conlapsa recumbit:
 purpureus veluti cum flos succisus aratro
 languescit moriens, lassove papavera collo
 435 demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
 at Nisus ruit in medios, solumque per omnis
 Volcentem petit, in solo Volcente moratur.
 quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
 proturbant. instat non setius ac rotat ensem
 440 fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
 condidit adverso et moriens animam abstulit hosti.
 tum super exanimum sese proiecit amicum

confossus placidaque ibi demum morte quievit.

Fortunati ambo! siquid mea carmina possunt,
 nulla dies umquam memori vos eximet aevo, 445
 dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
 accolet imperiumque pater Romanus habebit.

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti
 Volcentem exanimum flentes in castra ferebant.
 nec minor in castris luctus Rhamnete reperto 450
 exangui et primis una tot caede peremptis,
 Serranoque Numaque. ingens concursus ad ipsa
 corpora seminecisque viros tepidaque recentem
 caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.
 adgnoscent spolia inter se galeamque nitentem 455
 Messapi et multo phaleras sudore receptas.

Et iam prima novo spargebat lumine terras
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
 iam sole infuso, iam rebus luce relectis,
 Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse, 460
 suscitatur, aeratasque acies in proelia cogit
 quisque suas variisque acuunt rumoribus iras.
 quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
 praefigunt capita et multo clamore sequuntur
 Euryali et Nisi. 465

Aeneadae duri murorum in parte sinistra
 opposuere aciem (nam dextera cingitur anni)
 ingentisque tenent fossas et turribus altis
 stant maesti; simul ora virum praefixa movebant,
 nota nimis miseris atroque fluentia tabo. 470

Interea pavidam volitans pinnata per urbem
 nuntia Fama ruit matrisque adlabitur auris
 Euryali. at subitus miserae calor ossa reliquit;
 excussi manibus radii revolutaque pensa.
 evolat infelix et femineo ululatu, 475

scissa comam, muros amens atque agmina cursu
 prima petit, non illa virum, non illa pericli
 telorumque memor; caelum dehinc questibus implet:
 'hunc ego te, Euryale, aspicio? tune ille senectae
 sera meae requies, potuisti linqere solam, 480
 crudelis? nec te sub tanta pericula missum

adfari extremum miserae data copia matri?
 heu, terra ignota canibus data praeda Latinis
 alitibusque iaces, nec te tua funere mater
 485 produxi pressive oculos aut volnera lavi,
 veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
 urgebam et tela curas solabar anilis.
 quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque membra
 et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
 490 nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
 figite me, siqua est pietas, in me omnia tela
 conicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;
 aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
 invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
 495 quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam?
 hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis
 it gemitus, torpent infractae ad proelia vires.
 illam incendentes luctus Idaeus et Actor
 Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
 500 corripunt interque manus sub tecta reponunt.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
 increpuit; sequitur clamor caelumque remugit.
 adcelerant acta pariter testudine Volsci
 et fossas implere parant ac vellere vallum.
 505 quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros,
 qua rara est acies interlucetque corona
 non tam spissa viris. telorum effundere contra
 omne genus Teuceri ac duris detrudere contis,
 adsueti longo muros defendere bello.
 510 saxa quoque infestoolvebant pondere, siqua
 possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis
 ferre iuvat subter densa testudine casus.
 nec iam sufficiunt. nam qua globus imminet ingens,
 inmanem Teuceri molem volvuntque ruuntque,
 515 quae stravit Rutulos late armorumque resolvit
 tegmina. nec curant caeco contendere Marte
 amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
 missilibus certant.

parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
 520 pinum et fumiferos infert Mezentius ignis;

at Messapus equum domitor, Neptunia proles,
rescindit vallum et scalas in moenia poscit.

Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti,
quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus
ediderit, quem quisque virum demiserit Orco, 525
et mecum ingentis oras evolvite belli.

Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
opportuna loco, summis quam viribus omnes
expugnare Itali summaque evertere opum vi
certabant, Troes contra defendere saxis 530

perque cavas densi tela intorquere fenestras.
princeps ardentem coniecit lampada Turnus
et flammam adfixit lateri, quae plurima vento
corripuit tabulas et postibus haesit adesis.
turbati trepidare intus frustra malorum 535

velle fugam. dum se glomerant retroque residunt
in partem, quae peste caret, tum pondere turris
procubuit subito et caelum tonat omne fragore.
semineces ad terram, immani mole secuta,
confixique suis telis et pectora duro 540

transfossi ligno veniunt. vix unus Helenor
et Lycus elapsi: quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,
ense levis nudo parmaque inglorius alba. 545

isque ubi se Turni media inter milia vidit,
hinc acies atque hinc acies adstare Latinas,
ut fera, quae densa venantum saepta corona
contra tela furit seseque haud nescia morti
inicit et saltu supra venabula fertur, 550

haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis
inruit et qua tela videt densissima tendit.
at pedibus longe melior Lycus inter et hostis
inter et arma fuga muros tenet altaque certat
prendere tecta manu sociumque attingere dextras. 555

quem Turnus pariter cursu teloque secutus
increpat his victor: 'nostrasne evadere, demens,
sperasti te posse manus?' simul arripit ipsum
pendentem et magna muri cum parte revellit,

- 560 qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis,
quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. undique clamor
tollitur: invadunt et fossas aggere complent;
565 ardentis taedas alii ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium portae subeuntem ignisque ferentem,
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas,
hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta,
570 Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus,
Turnus Ityn Cloniumque, Dioxippum Promolumque
et Sagarim et summis stantem pro turribus Idan,
Privernum Capys. hunc primo levis hasta Themillae
strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
575 ad volnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta
et laevo infixata est lateri manus abditaque intus
spiramenta animae letali volnere rupit.
stabat in egregiis Arcantis filius armis,
pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,
580 insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
eductum Matris luco Symaethia circum
flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici:
stridentem fundam positus Mezentius hastis
ipse ter adducta circum caput egit habena
585 et media adversi liquefacto tempora plumbo
diffidit ac multa porrectum extendit harena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius fortemque manu fudisse Numanum,
590 cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
germanam nuper thalamo sociatus habebat.
is primam ante aciem digna atque indigna relatu
vociferans tumidusque novo praecordia regno
ibat et ingentem sese clamore ferebat:
595 'non pudet obsidione iterum valloque teneri,
bis capti Phryges, et morti praetendere muros?
en qui nostra sibi bello conubia poscunt!
quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?

non hic Atridae nec fandi fictor Ulixes:
 durum ab stirpe genus natos ad flumina primum 600
 deferimus saevoque gelu duramus et undis;
 venatu invigilant pueri silvasque fatigant,
 flectere ludus equos et spicula tendere cornu;
 at patiens operum parvoque adsueta iuventus
 aut rastris terram domat aut quatit oppida bello; 605
 omne aevum ferro teritur versaque iuvenum
 terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
 debilitat vires animi mutatque vigorem,
 canitiem galea premimus, semperque recentis
 comportare iuvat praedas et vivere raptò. 610
 vobis picta croco et fulgenti murice vestis,
 desidia cordi, iuvat indulgere choreis,
 et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.
 o vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
 Dindyma, ubi adsuētis biforem dat tibia cantum; 615
 tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris
 Idaeae: sinite arma viris et cedite ferro.’
 Talia iactantem dictis ac dira canentem
 non tulit Ascanius, nervoque obversus equino
 contendit telum diversaque brachia ducens 620
 constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:
 ‘Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
 ipse tibi ad tua templa feram sollempnia dona
 et statuam ante aras aurata fronte iuvenum,
 candentem pariterque caput cum matre ferentem, 625
 iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.’
 audiit et caeli genitor de parte serena
 intonuit laevum, sonat una fatifer arcus.
 effugit horrendum stridens adducta sagitta
 perque caput Remuli venit et cava tempora ferro 630
 traicit. ‘i, verbis virtutem include superbis!
 bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.’
 hoc tantum Ascanius: Teuceri clamore sequuntur
 laetitiaque fremunt animosque ad sidera tollunt.
 aetheria tum forte plaga crinitus Apollo 635
 desuper Ausonias acies urbemque videbat,
 nube sedens, atque his victorem adfatur Iulum:

'macte nova virtute, puer: sic itur ad astra,
 dis genite et geniture deos. iure omnia bella
 640 gente sub Assaraci fato ventura resident;
 nec te Troia capit.' simul haec effatus ab alto
 aethere se mittit, spirantis dimovet auras
 Ascaniumque petit. formam tum vertitur oris
 antiquum in Buten. hic Dardanio Anchisae
 645 armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
 tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
 omnia longaevo similis, vocemque coloremque
 et crinis albos et saeva sonoribus arma,
 atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
 650 'sit satis, Aenide, telis inpune Numanum
 oppetiisse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
 concedit laudem et paribus non invidet armis:
 cetera parce, puer, bello.' sic orsus Apollo
 mortalis medio aspectus sermone reliquit
 655 et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
 adgnovere deum proceres divinaque tela
 Dardanidae pharetramque fuga sensere sonantem.
 ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi
 Ascanium prohibent, ipsi in certamina rursus
 660 succedunt animasque in aperta pericula mittunt.
 it clamor totis per propugnacula muris,
 intendunt acris arcus ammentaque torquent.
 sternitur omne solum telis, tum scuta cavaeque
 dant sonitum flictu galeae, pugna aspera surgit,
 665 quantus ab occasu veniens pluvialibus haecdis
 verberat imber humum, quam multa grandine nimbi
 in vada praecipitant, cum Iuppiter horridus austris
 torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.
 Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
 670 quos Iovis eduxit luco silvestris Iacra,
 abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,
 portam, quae ducis imperio commissa, recludunt,
 freti animis, ultroque invitant moenibus hostem.
 ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,
 675 armati ferro et cristis capita alta corusci:
 quales aeriae liquentia flumina circum,

sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
 consurgunt geminae quercus intonsaque caelo
 attollunt capita et sublimi vertice nutant.
 inrumpunt aditus Rutuli ut videre patentis. 680
 continuo Quercens et pulcher Aquiculus armis
 et praeceps animi Marus et Mavortius Haemon
 agminibus totis aut versi terga dedere
 aut ipso portae posuere in limine vitam.
 tum magis increscunt animis discordibus irae 685
 et iam collecti Troes glomerantur eodem
 et conferre manum et procurrere longius audent.
 Ductori Turno, diversa in parte furenti
 turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
 fervere caede nova et portas praebere patentis. 690
 deserit inceptum atque immani concitus ira
 Dardanium ruit ad portam fratresque superbos.
 et primum Antiphaten (is enim se primus agebat),
 Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
 coniecto sternit iaculo; volat Itala cornus 695
 aera per tenerum stomachoque infixam sub altum
 pectus abit, reddit specus atri vulneris undam
 spumantem et fixo ferrum in pulmone tepescit.
 tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
 tum Bitian ardentem oculis animisque frementem, 700
 non iaculo, neque enim iaculo vitam ille dedisset,
 sed magnum stridens contorta phalarica venit,
 fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga
 nec duplici squama lorica fidelis et auro
 sustinuit: conlapsa ruunt inmania membra, 705
 dat tellus gemitum et clipeum super intonat ingens.
 talis in Euboico Baiarum litore quondam
 saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
 constructam ponto iaciunt, sic illa ruinam
 prona trahit penitusque vadis inlisa recumbit; 710
 miscent se maria et nigrae attolluntur harenae;
 tum sonitu Prochyta alta tremit durumque cubile
 Inarime Iovis imperiis inposta Typhoeo.
 Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
 addidit et stimulos acris sub pectore vertit 715

inmisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
undique conveniunt, quoniam data copia pugnae,
bellatorque animo deus incidit.

- Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
 50 tondentur tenero viridantia gramina morsu,

pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis, 52
 densaque virgultis avidae labrusca petuntur;
 haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
 vel salicis lentae vel quae nova nascitur alnus, 55
 haec teneras fruticum sentes rimatur, at illa
 inminet inrigui praestanti marginis ulvae.

O bona pastoris (siquis non pauperis usum
 mente prius docta fastidiat et probet illis
 somnia luxuriae spretis), incognita curis, 60
 quae lacerant avidas inimico pectore mentes!
 si non Assyrio fulgent bis lauta colore
 Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
 sub laqueare domus animum non angit avarum
 picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla 65
 cognitus utilitate movet, nec pocula Graium
 Alconis referunt Rhoecique toreuma, nec Indi
 conchea baca maris pretio est: at pectore puro
 saepe super tenero prosternit gramine corpus,
 florida cum tellus gemmantes picta per herbas 70
 vere notat dulci distincta coloribus arva,
 atque illum, calamo laetum recinente palustri
 otiaque invidia degentem ac fraude remota
 pollentemque sibi, viridi iam palmite lucens
 Tmolia pampineo subter coma velat amictu. 75
 illi sunt gratae rorantes lacte capellae
 et nemus et fecunda Pales et vallibus intus
 semper opaca novis manantia fontibus antra.
 quis magis optato queat esse beatior aevo,
 quam qui mente lucro pura censuque probato 80
 non avidas adposcit opes nec tristia bella
 nec funesta timet validae certamina classis,
 nec, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
 templa vel evectus finem transcendat habendi,
 adversum saevis ultro caput hostibus offert? 85
 illi falce deus colitur, non arte politus,
 ille colit lucos, illi Panchaia tura
 floribus agrestes herbae variantibus adflant,
 illi dulcis adest requies et pura voluptas,
 libera, simplicibus curis; huc inminet, omnes 90

dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
 quolibet ut requie victu contentus abundet,
 iucundoque levet languentia corpora somno.

o pecudes, o panes et o gratissima tempe
 95 frondis hamadryadum, quarum non divite cultu
 aemulus Ascræo pastor sibi quisque poetae
 securam placido traducit pectore vitam!

Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
 pastor agit curas et dum non arte canora
 100 compacta solitum modulatur harundine carmen,
 tendit inevectus radios Hyperionis ardor
 lucidaque aetherio ponit discrimina mundo,
 dum iacit Oceanum flammæ in utrumque rapaces.
 et iam compellente vagæ pastore capellæ
 105 ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ,
 quæ subter viridem residebant caerulea muscum.
 iam medias operum partes evectus erat sol,
 cum densas pastor pecudes cogebat in umbras
 et procul adspexit luco residere virenti,
 110 Delia diva, tuo, quo quondam victa furore
 venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue,
 infandas scelerata manus e caede cruenta:
 quæ gelidis bacchata iugis requievit in antro,
 posterius poenam nati de morte datura.
 115 hic etiam viridi ludentes panes in herba
 et satyri dryadesque choros egere puellæ
 naiadum coetu: tantum non Orpheus Hebrum
 restantem tenuit ripis silvasque canendo,
 quantum te, pernix, remorantur, diva, chorea
 120 multa tuo lactæ fundentes gaudia vultu,
 ipsa loci natura domum, resonante susurro,
 quis dabat et dulci fessas refovebat in umbra.
 nam primum prona surgebant valle patentes
 aeriæ platani, inter quas impia lotos,
 125 impia, quæ socios Ithaci maerentis abegit,
 hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
 at quibus insigni curru proiectus equorum
 ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
 Heliades, teneris inplexæ brachia truncis,

- candida fundebant tentis velamina ramis. 130
 posterius, cui Demophoon aeterna reliquit
 perfidia lamenta, doli male provida Phyllis
 (perfide Demophoon et non deffende puellis).
 quam comitabantur fatalia carmina quercus,
 quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae: 135
 illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
 hic magnum Argoae navi decus addita pinus
 proceros decorat silvas hirsuta per artus
 ac petit aeriis contingere montibus astra.
 ilicis et nigrae species nec laeta cupressus 140
 umbrosaeque monent fagus hederaeque ligantes
 bracchia, fraternos plangat ne populus ictus,
 ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae
 pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
 quis aderat veteris myrtus non nescia fati. 145
 his suberat gelidis manans e fontibus unda,
 quae levibus placidum rivis sonat acta liquorum.
 at volucres patulis residentes dulcia ramis
 carmina per varios edunt resonantia cantus,
 et quaqua geminas avium vox obstrepit aures, 150
 hac querulas referunt voces, quis nantia limo
 corpora lympha foveat, sonitus alit aeris echo,
 argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis.
 at circa passim fessae cubuere capellae
 excelsis subter dumis, quos leniter adflans 155
 aura susurrantis poscit confundere venti.
- Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
 mitem concepit proiectus membra soporem,
 anxius insidiis nullis, sed lentus in herbis
 securo pressos somno mandaverat artus; 160
 stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
 ni fors incertos iussisset ducere casus.
 nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
 inmanis vario maculatus corpore serpens,
 mersus ut in limo magno subsideret aestu, 165
 obvia vibranti carpens gravis ore trilingui,
 squamosos late torquebat motibus orbes:
 tendebant acres venientis ad omnia visus.

iam magis atque magis corpus revolubile volvens
 170 attollit nitidis pectus fulgoribus, effert
 sublimes cervice caput, cui crista superne
 edita purpureo lucens maculatur amictu,
 ad spectuque micant flammularum lumina torvo.
 metatur late circum loca, cum videt ingens
 175 adversum recubare ducem gregis. acrior instat
 lumina diffundens intendere et obvia torvus
 spiris arripiens infringere, quod sua quisquam
 ad vada venisset. naturae comparat arma:
 ardet mente, furit stridoribus, intonat ore,
 180 flexibus eversis torquetur corporis orbis,
 manant sanguineae per tractus undique guttae,
 spiritus erumpit fauces. quo cuncta parante
 parvulus hunc prior umoris conterret alumnus
 et mortem vitare monet per acumina. namque
 185 †qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
 †hac senioris erat naturae pupula telo
 icta levi, cum prosiluit furibundus et illum
 obtritum Morti misit: cui dissitus omnis
 spiritus excessit sensus. tum torva tenentem
 190 lumina respexit serpentem comminus; inde
 impiger, exanimis, vix compos mente refugit
 et validum dextra truncum detraxit ob orno
 (quam casus sociarit opem numenve deorum,
 prodere sit dubium, valuit sed vincere talis
 195 horrida squamosi volventia membra draconis)
 atque reluctantis crebris foedeque petentis
 ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristae;
 et quod erat tardo somni languore renatus,
 nec prius aspiciens timor occaecaverat artus,
 200 hoc minus implicuit dira formidine mentem.
 quem postquam vidit caesum languescere, sedit.

Iam quatit et biugis oriens Erebeis equos Nox
 et piger aurata procedit Vesper ab Oeta,
 cum grege compulso pastor, duplicantibus umbris,
 205 vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
 cuius ut intravit levior per corpora somnus
 languidaque effuso requierunt membra sopore,

effigies ad eum culicis devenit et illi
 tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
 'en quid' ait 'meritus ad quae delatus acerbas 210
 cogor adire vices! tua dum mihi carior ipsa
 vita fuit vita, rapior per inania Averni.
 tu lentus refoves iucunda membra quiete,
 ereptus taetris e cladibus; at mea manes
 viscera Lethaeas cogunt transnare per undas: 215
 praeda Charonis agor. viden ut flagrantia taedis
 limina conlucent infernis omnia templis.
 obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
 et flammis et saeva quatit mihi verbera. pone
 Cerberus et diris latrantia rictibus ora, 220
 anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
 sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
 heu, quid ab officio digressa est gratia, cum te
 restitui superis leti iam limine ab ipso?
 praemia sunt pietatis ubi, pietatis honores? 225
 in vanas abiere vices et rure recessit
 iustitia et prior illa fides. instantia vici
 alterius, sine respectu mea fata relinquens
 ad pariles agor eventus; fit poena merenti.
 poena sit exitium: modo sit tum grata voluntas, 230
 existat par officium. feror avia carpens,
 avia Cimmerios inter distantia lucos.
 quam circa tristes densentur in agmina poenae!
 nam vinctus sedet inmanis serpentibus Otos,
 devinctum maestus procul aspiciens Ephialten, 235
 conati quondam cum sint rescindere mundum;
 et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae
 (inplacabilis ira nimis) iacet alitis esca.
 terreor, a, tantis insistere, terreor, umbris!
 ad Stygias revocatus aquas vix ultimus amni 240
 extat, nectareas divum qui prodidit escas,
 gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
 quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
 contempsisse dolor quem numina vincit acerbus?
 otia quaerentes frustra situlae, ite puellae, 245
 ite, quibus taedas accendens tristis erinys

- sicut Hymen (pro fata!) dedit conubia mortis.
 atque alias alio densas supero agmine turmas,
 impietate fera vecordem Colchida matrem,
 250 anxia sollicitis meditantem vulnera natis;
 iam Pandionias miserandas prole puellas,
 quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex
 orbis epops maeret volueris evectus in auras.
 at discordantes Cadmeo semine fratres
 255 iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
 alter in alterius, iamque aversatur uterque,
 impia germani manat quod sanguine dextra.
 cheu, mutandus numquam labor! auferor ultra
 in diversa magis, distantia flumina cerno,
 260 Eridanus tranandus, agor delatus ad undam.
 obvia Persephone comites heroidas urget
 adversas perferre faces. Alcestis ab omni
 inviolata vacat cura, quod saeva mariti
 in Chalcodoniis Admeti fata morata est.
 265 ecce, Ithaci coniunx semper decus Icariotis,
 femineum incorrupta decus manet, et procul illa
 turba ferox iuvenum telis confixa procorum.
 quid, misera Eurydice, tanto maerore recessi?
 poenane respectus et nunc manet Orpheos in te?
 270 audax ille quidem, qui mitem Cerberon umquam
 credidit aut ulli Ditis placabile numen
 nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
 nec maesta obtenta Ditis ferrugine regna
 defossasque domos ac Tartara nocte cruenta
 275 obsita nec faciles Dictaeo iudice sedes,
 iudice, qui vitae post mortem vindicat acta.
 sed Fortuna valens audacem fecerat ante.
 iam rapidi steterant annes et turba ferarum
 blanda voce sequax regionem insederat Orphei,
 280 iamque imam viridi radicem moverat alte
 quereus humo silvaeque sonoros
 sponte sua cantus rapiebant cortice avara.
 labentes biuges etiam per sidera Lunae
 pressit equos, et tu currentes, menstrua virgo,
 285 auditura lyram, tenuisti nocte relicta.

haec eadem potuit Ditis te vincere coniunx,
 Eurydicenque viro ducendam reddere? non fas,
 non erat invictae divae exorabile numen.
 illa quidem, nimium manes experta severos,
 praeceptum signabat iter, nec rettulit intus 290
 lumina nec divae corrumpit munera lingua;
 sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
 (peccatum meminisse tuum grave sede piorum) 295
 oscula cara petens rupisti iussa deorum: 293
 dignus amor venia, veniam si Tartara nossent. 294
 Has manet heroum contra manus. hic et uterque
 Aeacides: Peleus namque et Telamonia virtus
 per securam patris laetantur numina, quorum
 conubis Venus et Virtus iniunxit honorem:
 hunc rapuit Periboea, illum Nereis amavit. 300
 adsidet hac iuvenis, sociatae gloria sortis,
 acer, inexcussus, referens a navibus ignes
 Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
 o quis non referat talis divortia belli,
 quae Troiae videre viri videreque Grai, 305
 Teucra cum magno manaret sanguine tellus
 et Simois Xanthique liquor, Sigeaque propter
 litora cum Troas saevi ducis Hectoris ira
 videre in classes inimica mente Pelasgas
 vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos. 310
 ipsa iugis namque Ida patens frondentibus, ipsa
 Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis,
 omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
 classibus ambustis flamma flagrante daretur.
 hinc erat oppositus conto Telamonius heros 315
 obiectoque dabat clipeo certamina, et illinc
 Hector erat, Troiae summum decus, acer uterque,
 fluminibus veluti fragor est
 ignibus hic telisque asper, [si classibus Argos]
 eriperet reditus, alter Vulcania ferro 320
 vulnera protectus depellere navibus instat.
 hos erat Aeacides vultu laetatus honores,
 Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis
 Hectoreo victor lustravit corpore Troiam.

- 325 rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et huius
 alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
 huic gerit aversos proles Laertia vultus,
 et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
 Pallade iam laetatur ovans, rursusque tremescit
 330 iam Ciconas iamque horret atrox Laestrygonas ipse.
 illum Scylla rapax canibus succincta Molossis
 Aetnaeusque Cyclops, illum Zancleae Charybdis
 pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
 hic et Tantaleae generamen prolis Atrides
 335 adsidet, Argivum lumen, quo flamma regente
 Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
 reddidit, heu, Graius poenas tibi, Troia, ruenti,
 Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
 illa vices hominum testata est copia quondam,
 340 ne quisquam propriae fortunae munere dives
 iret inevectus caelum super: omne propinquo
 frangitur invidiae telo decus. ibat in altum
 vis Argea petens patriam ditataque praeda
 arcis Erichthoniae; comes huic erat aura secunda
 345 per placidum cursu pelagus; Nereis ab unda
 signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
 cum seu caelesti fato seu sideris ortu
 undique mutatur caeli nitor, omnia ventis,
 omnia turbinibus sunt anxia. iam maris unda
 350 sideribus certat consurgere, iamque superne
 corripere et soles et sidera cuncta minatur
 ac ruere in terras caeli fragor. hic modo laeta
 copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
 immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
 355 Euboicas aut per cautes Aegaeaeque late
 litora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae
 omnis in aequoreo fluitat iam naufraga fluctu.
 hic alii sidunt pariles virtutis honore
 heroes mediisque siti sunt sedibus omnes,
 360 omnes Roma decus magni quos suspicit orbis.
 hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
 hic et fama vetus numquam moritura Camilli,
 Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis

devotum tellus consumpsit gurgitis unda,
 Mucius et, prudens ardorem corpore passus, 365
 limitibus cessit cui fracta potentia regis;
 hic Curius clarae socius virtutis et ille
 Caecilius, devota dedit qui corpora flammis,
 Scipiadaeque duces, quorum devota triumphis 370
 moenia vepretis Libycae Karthaginis horrent. 371
 iure igitur tales sedes pietatis honores. 369
 illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos 372
 cogor adire lacus, viduos, a, lumine Phoebi,
 et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
 conscelerata pia discernis saecula sede. 375
 ergo iam causam mortis, iam dicere vitae
 verberibus saevae cogunt sub iudice Poenae,
 cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis:
 sed tolerabilibus curis haec inmemor audis
 et lamenta vagis dimittes omnia ventis 380
 et mea diffusas rapientur dicta per auras.
 digredior numquam rediturus. tu cole fontes
 et virides nemorum silvas et pascua laetus.
 dixit et extrema tristis cum voce recessit.

Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae, 385
 interius graviter regementem, nec tulit ultra
 sensibus infusum culicis de morte dolorem,
 quantumcumque sibi vires tribuere seniles
 (quis tamen infestum pugnans devicerat hostem),
 rivum propter aquae viridi sub fronde latentem 390
 conformare locum capit inpiger. hunc et in orbem
 destinat ac ferri capulum repetivit in usum,
 gramineam ut viridi foderet de caespite terram.
 iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
 congestum cumulavit opus atque aggere multo 395
 telluris tumulus formatum crevit in orbem;
 quem circum lapidem levi de marmore formans
 conserit, adsiduae curae memor. hic et acanthus
 et rosa purpureo crescit pudibunda rubore
 et violae omne genus, hic est et Parthica myrtus 400
 atque hyacinthus et hic Cilici crocus editus arvo,
 laurus item Phoebi surgens decus, hic rhododaphne

liliaque et roris non avia cura marini
 herbaque turis opes priscis imitata Sabinis
 405 chrysanthesque hederæque nitor pallente corymbo
 et bocchus Libyæ regis memor, hic amaranthus
 bumastusque virens et semper florida tinus;
 non illinc narcissus abest, cui gloria formæ
 igne Cupidinea proprios exarsit in artus;
 410 et quoscumque novant vernantia tempora flores,
 his tumulus super inseritur. tum fronte locatur
 elogium, tacita format quod littera voce:
 ‘parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
 funeris officium vitæ pro munere reddit.’

CIRIS.

Etsi me, vario iactatum laudis amore
 irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
 Cecropius suaves expirans hortulus auras
 florentis viridi sophiæ complectitur umbra,
 5 ut mens curet eo dignum sibi quaerere carmen
 (longe aliud studium atque alios accincta labores
 altius ad magni suspexit sidera mundi
 et placitum paucis ausa est ascendere collem):
 non tamen absistam coeptum detexere munus,
 10 in quo iure meas utinam requiescere musas
 et leviter blandum liceat deponere morem.
 †quod si mirificum genus omnes
 mirificum saeculi modo sit tibi velle libido †
 si me iam summa sapientia pangeret arce,
 15 quattuor antiquis quæ heredibus est data consors,
 unde hominum errores longe lateque per orbem
 dispicere atque humiles possem contemnere curas,
 non ego te talem venerarer munere tali,
 non equidem, quamvis interdum ludere nobis
 20 et gracilem molli libeat pede claudere versum;
 sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
 qualis Erechtheis olim portatur Athenis,

debita cum castae solvuntur vota Minervae
 tardaue confecto redeunt quinquennia lustro, 25
 cum levis alterno zephyrus concrebruit euro
 et prono gravidum provexit pondere currum.
 felix illa dies, felix et dicitur annus,
 felices, qui talem annum videre diemque.
 ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae, 30
 magna giganteis ornantur pepla tropaeis,
 horrida sanguineo pinguntur proelia cocco,
 additur aurata deiectus cuspede Typhon,
 qui prius, Ossaeis consternens aethera saxis,
 Emathio celsum duplicabat vertice Olympum. 35
 tale deae velum sollemni tempore portant;
 tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
 purpureos inter soles et candida lunae
 sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
 naturae rerum magnis intexere chartis;
 aeternum sophiae coniunctum carmine nomen 40
 nostra tuum senibus loqueretur pagina saeculis.
 sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
 nunc primum teneros firmamus robore nervos,
 haec tamen interea, quae possumus, in quibus aevi
 prima rudimenta et iuvenes exegimus annos, 45
 accipe dona meo multum vigilata labore
 promissa atque diu iam tandem
 impia prodigiis ut quondam exterrita amoris
 Scylla novos avium sublimis in aere coetus
 viderit et tenui conscendens aethera pinna 50
 caeruleis sua tecta supervolitaverit alis,
 hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
 pro patria solvens, excisa et funditus urbe.
 complures illam et magni, Messalla, poetae
 (nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum) 55
 longe alia perhibent mutatam membra figura
 Scyllaeum monstro saxum infestare voraci;
 illam esse, aerumnis quam saepe legamus Ulixi,
 candida succinctam latrantibus inguina monstris,
 Dulichias vexasse rates et gurgite in alto 60
 deprensos nautas canibus lacerasse marinis.

sed neque Maeoniae haec patiuntur credere chartae
 nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
 namque alias alii vulgo finxere puellas,
 65 quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero.
 ipse Crataein ait matrem; sed sive Crataeis,
 sive illam monstrum genuit grave Echidna biformis,
 sive est neutra parens atque hoc in carmine toto
 inguinis est vitium et Veneris descripta libido,
 70 sive etiam iactis speciem mutata venenis
 infelix virgo (quid enim commiserat illa?
 ipse pater timidam vacua complexus harena
 coniugium castae violaverat Amphitrites;
 attamen exegit longo post tempore poenas,
 75 ut, cum cura sui veheretur coniugis alto,
 ipsa trucem multo misceret sanguine pontum),
 seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes
 et cupidos quaestu passim popularet amantes,
 80 horribiles circum vidit se sistere formas
 79 piscibus et canibusque malis vallata repente est
 81 (heu quotiens mirata novos expalluit artus,
 ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!),
 ausa quod est mulier numen fraudare deorum
 et dictam Veneri lucrorum avertere partem;
 85 quam, mala multiplici iuvenum quod saepta caterva
 vixit eratque animo meretrix iactata ferarum,
 infamem tali merito rumore fuisse,
 docta Palaephatia testatur voce papyrus:
 quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
 90 somnia sunt: potius liceat notescere cirin
 atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
 quare, quae cantus meditati mittere certos
 magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
 Pierides, quarum castos alabastia postes
 95 munere saepe meo inficiunt foribusque hyacinthi
 dependent flores aut suave rubens narcissus
 aut crocus alterna coniungens lilia caltha
 sparsaque liminibus floret rosa, nunc age, divae,
 praecipue nostro nunc adspirate labori
 100 atque novum aeterno praetexite honore volumen.

Sunt Pandioniis vicinae sedibus urbes
 Actaeos inter colles et candida Thesei
 purpureis late ridentia litora conchis,
 quarum non ulli fama concedere digna
 stat Megara, Alcathoi quondam munita labore, 105
 Alcathoi Phoebique: deus namque adfuit illi;
 unde etiam citharae voces imitatus acutas
 saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
 et veterem sonitu Phoebi testatur amorem.
 hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis, 110
 fecerat infestam populator remige Minos,
 hospitio quod se Nisi Polyidos avito
 Carpathium fugiens et flumina Caeratea
 texerat. hunc bello repetens Gortynius heros
 Attica Cretaea sternebat rura sagitta. 115
 sed neque tum cives neque tum rex ipse veretur
 infesto ad muros volitantes agmine turmas
 reicere et indomitas virtute retundere mentes,
 responsum quoniam satis est meminisse deorum.
 nam capite a summo regis (mirabile dictu) 120
 candida caesaries (florebant tempora lauro),
 at roseus mediò surgebat vertice crinis:
 cuius quam servata diu natura fuisset,
 tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
 concordēs stabili firmarant numine parcae. 125
 ergo omnis caro residebat cura capillo,
 aurea sollemni comptum quem fibula ritu
 Cecropiae tereti nectebat dente cicadae.
 Nec vero haec urbis custodia vana fuisset
 (nec fuerat), ni Scylla novo correpta furore, 130
 Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulchrum,
 o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.
 sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
 iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
 Iuppiter (ille etiam Poenos domitare leones 135
 et rabidae novit vires mansuescere tigris,
 ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est),
 idem tum tristes acuebat parvulus iras.
 Lunonis magnae, cuius fera iurgia divae

140 olim ipsae metuere, cheu peritura puella
 non ulli licitam violaverat inscia sedem,
 dum sacris operata deae lascivit et extra
 procedit longe matrum comitumque catervam,
 suspensam gaudens in corpore ludere vestem
 145 et tumidos agitante sinus aquilone relaxans.
 necdum etiam castos gustaverat ignis honores,
 necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
 pallentis foliis caput exornarat olivae:
 cum lapsa e manibus fugit pila, quoque ea lapsa est,
 150 procurrit virgo. quod uti ne prodita ludo
 auratam gracili solvisset corpore pallam!
 omnia, quae retinere gradum cursusque morari
 possent, o tecum vellem tu semper haberes:
 non umquam violata manu sacraria divae
 155 iurando, infelix, nequiquam iure piasses.
 et si quis nocuisse tibi periuria credat,
 causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.
 at levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
 quaeritur ex omni verbo atque iniuria facte,
 160 aurea fulgenti depromens tela pharetra,
 heu nimium taetro nimium torrentia viro,
 virginis in tenera defixit acumina mente.

Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem
 et validum penitus concepit in ossa furorem,
 165 saeva velut gelidis Edonum Bistonis oris
 ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
 infelix virgo tota bacchatur in urbe,
 non storace Idaeo fragrantés tincta capillos,
 cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
 170 non niveo retinens bacata monilia collo.
 multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
 saepe redit patrios adscendere perdita muros,
 aeriasque facit causam sibi visere turre;

saepe etiam tristes volvens in nocte querellas
 175 sedibus ex aulae celsis speculatur amorem
 castraque prospectat crebris lucentia flammis.
 nulla colum novit, carum non respicit aurum,
 non arguta sonant tenui psalteria chorda,

non Libyco molles plauduntur pectine telae.
 nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori. 180
 atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
 tabidulamque videt labi per viscera mortem,
 quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
 fertur et horribili praeceps inpellitur oestro,
 ut patris, a demens, crinem de vertice sectum 185
 furtimque arguto detonsum mitteret hosti
 (namque haec condicio miserae proponitur una),
 sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
 credere, quam tanti sceleris damnare puellam?),
 heu tamen infelix: quid enim imprudentia prodest? 190
 Nise pater, cui direpta crudeliter urbe
 vix erit una super sedes in turribus altis,
 fessus ubi extracto possis considerare nido,
 tu quoque avis metuere: dabit tibi filia poenas.
 gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis, 195
 quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
 incolitis, gaudete, vagae blandaeque volucres,
 vosque adeo, humani mutatae corporis artus,
 vos o crudeli factorum lege, puellae
 Dauliades, gaudete: venit carissima vobis, 200
 cognatos augens reges numerumque suorum,
 ciris et ipse pater. vos, o pulcherrima quondam
 corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
 qua novus ad superum sedes haliaetos et qua
 candida concessos adscendet ciris honores. 205
 Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
 Nisus erat vigilumque procul custodia primis
 excubias foribus studio iactabat inani,
 cum furtim tacito descendens Scylla cubili
 auribus arrectis nocturna silentia temptat 210
 et pressis tenuem singultibus aera captat.
 tum suspensa levans digitis vestigia primis
 egreditur ferroque manus armata bidenti
 evolat; at demptae subita in formidine vires.
 caeruleas sua furta prius testatur ad umbras. 215
 nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
 vestibulo in thalami paullum remoratur et alte

suspicit ad celsi nietantia sidera mundi,
non accepta piis promittens munera divis.

- 220 Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carme
surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
marmoreo aeratus stridens in limine cardo),
corripit extemplo fessam languore puellam
et simul 'o nobis sacrum caput' inquit 'alumna,
225 non tibi nequiquam viridis per viscera pallor
aegrotas tenui suffudit sanguine venas,
nec levis hanc faciem (neque enim pote) cura subedit.
haud fallor (quod ut o potius, Rhamnusia, fallar):
nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
230 nec gravidos Cereris dicam contingere fetus,
qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
tempore quo fessas mortalia pectora curas,
quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
dic age nunc miserae saltem, quod saepe petenti
235 iurabas nihil esse mihi, cur maesta parentis
formosos circum virgo remorere capillos?
ei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
ille, Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
ut scelere infando (quod ne sinat Adrastea)
240 laedere utrumque uno studeas errore parentem!
quod si alio quovis animi iactaris amore
(nam te iactari, non est Amathusia nostri
tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo),
si concessus amor noto te macerat igne,
245 per tibi Dictynnae praesentia numina iuro,
prima decus quae dulce mihi te donat alumnam,
omnia me potius digna atque indigna laborum
milia visuram, quam te tam tristibus istis
sordibus et senio patiar tabescere tali.'
- 250 Haec loquitur, mollique ut se velavit amictu,
frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
quae prius in tenui steterat succincta crocota.
dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
persequitur miserae causas exquirere tabis,
255 nec tamen ante ulla patitur sibi reddere voces,
marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.

illa autem 'quid me,' inquit, 'io nutricula, torques?
 quid tantum properas nostros novisse furores?
 non ego consueto mortalibus uror amore
 nec mihi notorum deflectunt lumina vultus 260
 nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnes.
 nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
 in quo falsa tamen lateat pietatis imago,
 sed media ex acie mediisque ex hostibus. heu heu,
 quid dicam quove ausa malum hoc exordiar ore? 265
 dicam equidem, quoniam tu me non dicere, nutrix,
 non sinis: extremum hoc munus morientis habeto.
 ille (vides), nostris qui moenibus adsidet hostis,
 quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
 cui parcae tribuere nec ullo vulnere laedi 270
 (dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis),
 ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
 quod per te divum crebros testamur amores
 perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnae,
 ut me, si servare potes, ne perdere malis; 275
 sin autem optatae spes est incisa salutis,
 ne mihi, quam merui, inideas, nutricula, mortem.
 nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carne,
 ante in conspectum casusve deusve tulisset,
 aut ferro hoc' (aperit ferrum quod veste latebat) 280
 'purpureum patris dempsissem vertice crinem,
 aut mihi praesenti peperissem vulnere letum.'
 Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
 incanos multo deturpat pulvere crines
 et graviter questu Carme conplorat anili: 285
 'o mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
 o iterum nostrae Minos inimice senectae,
 semper ut aut olim natae te propter eundem
 aut amor insanæ luctum portaret alumnae!
 tene ego tam longe capta atque avecta nequivi, 290
 tam grave servitium, tam duros passa labores,
 effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
 iam iam nec nobis aequo senioribus ullum
 vivere uti cupiam vivit genus. a! quid ego amens
 te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulchri, 295

- te, Britomarti, diem potui producere vitae?
 atque utinam celeri ne tantum grata Dianae
 venatus esses virgo sectata virorum,
 Gnosia nec Partho contendens spicula cornu
 300 Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:
 numquam tam obnixe fugiens Minois amores
 praeceps aerii specula de montis iisses,
 unde alii fugisse ferunt et numen Aphaeae
 virginis adsignant; alii, quo notior esses,
 305 Dictynnam dixere tuo de nomine lunam.
 sint haec vera velim; mihi certe, nata, peristi.
 numquam ego te summo volitantem in vertice montis
 Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
 conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
 310 verum haec tum non sic gravia atque indigna fuere,
 tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret
 et vox ista meas nondum violaverat aures.
 tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
 tene, o sola meae vivendi causa senectae?
 315 saepe tuo dulci nequiquam capta sopore,
 cum premeret natura, mori me velle negavi,
 ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
 quo nunc me, infelix, aut quae me fata reservant?
 an nescis, qua lege patris de vertice summo
 320 edita candentes praetexat purpura canos,
 quae tenuis patrio spes sit suspensa capillo?
 si nescis, aliquam possum sperare salutem,
 inscia quandoquidem scelus es conata nefandum:
 sin est, quod metuo, per te, mea alumna, tuumque
 325 expertum multis miserae mihi rebus amorem,
 per te sacra precor per luminaque Ilithyiae,
 ne tantum in facinus tam nulla mente feraris.
 non ego te incepto (fieri quod non pote) conor
 flectere amore neque est cum dis contendere nostrum;
 330 sed patris incolumi potius denubere regno
 atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates.
 hoc unum exilio docta atque experta monebo.
 quod si non alia poteris ratione parentem
 flectere (sed poteris; quid enim non unica possis?),

tum potius tamen ista, pio cum iure licebit, 335
 cum facti causam tempusque doloris habebis,
 tum potius conata tua atque incepta referto;
 meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
 polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.'

His ubi sollicitos animi relevaverat aestus 340
 vocibus et blanda pectus spe vicerat aegrum,
 paullatim tremebunda genis obducere vestem
 virginis et placidam tenebris captare quietem,
 inverso bibulum restinguens lumen olivo,
 incipit ad crebrosque insani pectoris ictus 345
 ferre manum, adsiduis mulcens praecordia palmis.
 noctem illam sic maesta super morientis alumnae
 frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.

postera lux ubi laeta diem mortalibus alnum
 et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta, 350
 quem pavidae alternis fugitant optantque puellae
 (Hesperium vitant, optant ardescere Eoum),
 praeceptis paret virgo nutricis et omnes
 undique conquirat nubendi sedula causas.

temptantur patriae submissis vocibus aures, 355
 laudanturque bonae pacis bona; multus ineptae
 virginis insolito sermo novus errat in ore.
 nunc tremere instantis belli certamina dicit
 communemque timere deum, nunc regis amicis,

iamque ipsi verita est, orbum flet maesta parentem, 360
 cum Iove communes quem par sit habere nepotes;
 nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
 invenit et divum terret formidine cives;

nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quaerit.
 quin etiam castos ausa est corrumpere vates, 365
 ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
 essent, qui generum Minoa auctoribus extis
 iungere et ancipites suaderent tollere pugnas.

At nutrix, patula componens sulfura testa,
 narcissum casiamque herbas contundit olentes 370
 terque novena ligans triplici diversa colore
 fila 'ter in gremium mecum' inquit 'despue virgo,
 despue ter, virgo: numero deus inpare gaudet.'

inde magi venerata Iovis Stygialia sacra,
 375 sacra nec Aeacis anibus nec cognita Graeis,
 pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
 regis Iolciacis animum defigere votis.
 verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
 nec possunt homines nec possunt flectere divi
 380 (tanta est in parvo fiducia crine cavendi),
 rursus ad inceptum sociam se iungit alumnae
 purpureumque parat rursus tondere capillum,
 tam longo quod iam captat succurrere amori,
 non minus illa tamen, revehi quod moenia Cressa
 385 gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto.

Ergo iterum capiti Seylla est inimica paterno.
 tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
 tum capitur Megara et divum responsa probantur,
 tum suspensa novo ritu de navibus altis
 390 per mare caeruleum trahitur Niseia virgo.
 conplures illam nymphae mirantur in undis,
 miratur pater Oceanus et candida Tethys
 et cupidus secum rapiens Galatea sorores,
 illam etiam, iunctis magnum quae piscibus aequor
 395 et glauco bipedum curru metitur equorum,
 Leucothea parvusque dea cum matre Palaemon,
 illam etiam, alternas sortiti vivere luces,
 cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum,
 Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
 400 has adeo voces atque haec lamenta per auras
 fluctibus in mediis questuolvebat inani,
 ad caelum infelix ardentia lumina tendens,
 lumina: nam teneras arcebant vincula palmas:
 'supprimate o paullum turbati flamina venti,
 405 dum queror et divos (quamquam nil testibus illis
 profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
 vos ego, vos adeo, venti, testabor, et aerae,
 vos, Pandionia siqui de gente venitis:
 cernitis, illa ego sum cognato sanguine vobis
 410 Seylla (quod o salva liceat te dicere Proene),
 illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
 certatim ex omni petiit quam Graecia regno,

qua curvus terras amplectitur Hellespontus,
 illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniunx
 dicta tibi: tamen haec, etsi non aspicias, audis. 415
 vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
 vincta tot adsiduas pendebam ex ordine luces?
 non equidem me alio possum contendere dignam
 supplicio, quod sic patriam carosque penates
 hostibus inmitique addixi ignara tyranno. 420
 verum istaec, Minos, illos scelerata putavi,
 si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
 facturos, quorum direptis moenibus urbis,
 o ego crudelis, flamma delubra petivi;
 te vero victore prius vel sidera cursus 425
 mutatura suos, quam te mihi talia captae
 facturum metui. iam iam scelus omnia vincit.
 tene ego plus patrio dilexi perdita regno?
 tene ego? nec mirum, vultu decepta puella
 ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error! 430
 non equidem ex isto speravi corpore posse
 tale malum nasci; forma vel sidera fallas.
 me non deliciis commovit regia dives,
 curatio fragili aut electro lacrimoso,
 me non florentes aequali corpore nymphae, 435
 non metus incensam potuit retinere deorum.
 omnia vincit amor: quid enim non vinceret ille?
 non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
 pronuba nec castos accendet pinus honores,
 nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro. 440
 vana queror: me ne illa quidem communis alumnam
 omnibus iniecta tellus tumulabit harena.
 mene inter matres ancillaresque maritas,
 mene alias inter famularum munere fungi
 coniugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae 445
 non licuit gravidos penso devolvere fusos?
 at belli saltem captivam lege necasses!
 iam fesso tandem fugiunt de corpore vires,
 et caput inflexa lentum cervice recumbit,
 marmorea adductis tabescunt bracchia nodis. 450
 aequoreae pristis, inmania corpora ponti,

- undique conveniunt et glauco in gurgite circum
 verberare caudarum atque oris minitantur hiatu.
 iam tandem casus hominum, iam respice, Minos!
 455 sit satis hoc, tantum Scyllam vidisse malorum,
 vel fato fuerit nobis haec debita pestis,
 vel casu incerto, merita vel denique culpa:
 omnia nam potius quam te fecisse putabo.
 Labitur interea resoluta ab litore classis,
 460 magna repentino sinuantur lintea coro,
 flectitur in viridi remus sale, languida fessae
 virginis in cursu moritur querimonia longo.
 deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
 Cypselidae magni florentia regna Corinthi;
 465 praeterit abruptas Scironis protinus arces
 infestumque suis dirae testudinis exit
 spelaeum multoque cruentas hospite cautes.
 iamque adeo tutum longe Piraeaea cernit,
 et notas eheu frustra respectat Athenas.
 470 iam procul e fluctu Salaminia suspicit arva
 florentesque videt iam Cycladas; hinc sinus illi
 Sunius, hinc statio contra patet Hermionea.
 linquitur ante alias longe gratissima Delos
 Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
 475 prospicit incinctam spumanti litore Cythnon
 marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donyssam
 Aeginamque simul sementiferamque Seriphum.
 fertur et incertis iactatur ad omnia ventis,
 cumba velut, magnas sequitur cum parvula classes
 480 Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo,
 donec tale decus formae vexarier ultra
 non tulit ac miseros mutavit virginis artus
 caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.
 sed tamen aeternam squamis vestire puellam,
 485 infidosque inter teneram committere pisces
 non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites);
 aeriis potius sublimem sustulit alis,
 esset ut in terris facti de nomine ciris,
 ciris Amyclaeo formosior ansere Ledaë.
 490 hic velut in niveo, tenera est cum primitus, ovo .

effigies animantis et internodia membris
 imperfecta novo fluitant concreta calore,
 sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
 semiferi incertis etiam nunc partibus artus
 undique mutabant atque undique mutabantur. 495
 oris honos primum et multis optata labella
 et patulae frontis species concrecere in unum
 coepere et gracili mentum producere rostro;
 tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
 ecce repente, velut patrios imitatus honores, 500
 puniceam concussit apex in vertice cristam;
 at mollis varios intexens pluma colores
 marmoreum volucris vestivit tegmine corpus
 lentaque perpetuas fuderunt bracchia pinnas.
 inde alias partes minioque infecta rubenti 505
 crura nova macies obduxit squalida pelli
 et pedibus teneris unguis adfixit acutos.
 et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
 vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
 numquam illam post haec oculi videre suorum 510
 purpureas flavo retinentem vertice vittas,
 non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
 nullae illam sedes: quid enim cum sedibus illi?
 quae simul ut sese cano de gurgite velox
 cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis 515
 et multum late dispersit in aequora rorem,
 infelix virgo nequiquam a morte recepta
 incultum solis in rupibus exigit aevum,
 rupibus et scopulis et litoribus desertis.
 nec tamen hoc ipsum poena sine: namque deum rex, 520
 omnia qui imperio terrarum milia versat,
 commotus talem ad superos volitare puellam,
 dum pater extinctus caeca sub nocte lateret,
 illi pro pietate sua (nam saepe nitentum
 sanguine taurorum supplex resperserat aras, 525
 saepe deum largo decorarat munere sedes)
 reddidit optatam mutato corpore vitam
 fecitque in terris haliaetos ales ut esset:
 quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.

- 530 huic vero miserae, quoniam damnata deorum
iudicio, natiq̄ue et coniugis, ante fuisset,
infesti adposuit odium crudele parentis.
namque ut in aetherio signorum lumine praestans,
unum quem duplici stellarum sidere vidi,
535 Scorpios alternis clarum fugat Oriona,
sic inter sese tristes haliaetos iras
et ciris memori servant ad saecula fato.
quacumque illa levem fugiens secat aera pinnis,
ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
540 insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
illa levem fugiens raptim secat aera pinnis.

C O P A .

- Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
crispum sub crotalo docta movere latus,
ebria fumosa saltat lasciva taberna,
ad cubitum raucos excutiens calamos:
5 'quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse?
quam potius bibulo decubuisse toro!
sunt obbae calices cyathi, rosa, tibia, chordae,
et trichila umbrosis frigida harundinibus.
est et Maenalia quae garrit dulce sub antro
10 rustica pastoris fistula more sonans.
est et vappa, cado nuper defusa picato,
est crepitans rauco murmure rivus aquae.
sunt et Cecropio violae de flore corollae
sertaque purpurea lutea mixta rosa
15 et quae virgineo libata Achelois ab amne
lilia vimineis attulit in calathis.
sunt et cascoli, quos sirpea fiscina siccant,
sunt autumnalis cerea pruna deae
19 castaneaeque nuces et suave rubentia mala
22 et pendens iunco caeruleus cucumis;
21 sunt et mora cruenta et lentis uva racemis,
20 est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.

est tuguri custos, armatus falce saligna,
 sed vasto non est inguine terribilis.
 huc, calybita, veni: lassus iam sudat asellus; 25
 parce illi: Vestae delictum est asinus.
 nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
 nunc viridis gelida saepe lacerta latet.
 si sapis, aestivo recubans te prolue vitro,
 seu vis crystallo ferre novos calices. 30
 eia age pampinea fessus requiesce sub umbra,
 et gravidum roseo necte caput strophio,
 formosus tenerae decerpens ora puellae.
 a pereat, cui sunt prisca supercilia!
 quid cineri ingrato servas bene olentia sarta? 35
 anne coronato vis lapide ossa tegi?
 pone merum et talos. pereat, qui crastina curat!
 Mors aurem vellens 'vivite' ait, 'venio.'

M O R E T V M.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas
 excubitorque diem cantu praedixerat ales,
 Simylus exigui cultor cum rusticus agri,
 tristia venturae metuens ieiunia lucis,
 membra levat vili sensim demissa grabato 5
 sollicitaque manu tenebras explorat inertes
 vestigatque focum, laesus quem denique sentit.
 parvulus exusto remanebat stipite fomes
 et cinis obductae celabat lumina prunae.
 admovet his pronam submissa fronte lucernam 10
 et producit acu stuppas umore carentes,
 excitat et crebris languentem flatibus ignem.
 tandem concepto se lux fulgore recepit,
 oppositaque manu lumen defendit ab aura
 et reserat clausae quae pervidet ostia cellae. 15
 fusus erat terra frumenti pauper acervus:
 hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,
 quae bis in octonas excurrit pondere libras.

Inde abit adistitque molae parvaque tabella,
 20 quam fixam paries illos servabat in usus,
 lumina fida locat. geminos tum veste lacertos
 liberat et cinctus villosae tegmine caprae
 praevertit cauda silices gremiumque molarum.
 advocat inde manus operi, partitus utrimque:
 25 laeva ministerio, dextra est intenta labori,
 haec rotat adsiduum gyris et concitat orbem
 (tunsa Ceres silicum rapido decurrit ab ictu),
 interdum fessae succedit laeva sorori
 alternatque vices. modo rustica carmina cantat
 30 agrestique suum solatur voce laborem,
 interdum clamat Scybalen. erat unica custos,
 Afra genus, tota patriam testante figura,
 torta comam labroque tumens et fusca colore,
 pectore lata, iacens mammis, compressor alvo,
 35 cruribus exilis, spatiosa prodiga planta.
 [continuis rimis calcanea scissa rigeabant.]
 hanc vocat atque focus arsura inponere ligna
 imperat et flamma gelidos adolere liquores.

Postquam inplevit opus iustum versatile finem,
 40 transfert inde manu tusas in cribra farinas
 et quatit, ac remanent summo purgamina dorso,
 subsidit sincera foraminibusque liquatur
 emundata Ceres. levi tum protinus illam
 componit tabula, tepidas super ingerit undas,
 45 contrahit admixtos tum fontes atque farinas,
 transversat durata manu liquidoque coacto
 interdum grumos spargit sale, iamque subactum
 levat opus palmisque suum dilatat in orbem
 et notat impressis aequo discrimine quadris.
 50 infert inde foco (Scybale mundaverat aptum
 ante locum) testisque tegit, super aggerat ignes.
 dumque suas peragit Vulcanus Vestaque partes,
 Simylus interea vacua non cessat in hora,
 verum aliam sibi quaerit opem, neu sola palato
 55 sit non grata Ceres, quas iungat comparat escas.
 non illi suspensa focum carnaria iuxta,
 durati sale terga suis truncique, vacabant,

traiectus medium sparto sed caseus orbem
 et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
 ergo aliam molitur opem sibi providus heros. 60

Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca
 et calamo rediviva levi munibat harundo,
 exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
 nil illi derat, quod pauperis exigit usus;
 interdum locuples a paupere plura petebat. 65

nec sumptus erat illud opus, sed recula curae:
 si quando vacuum casula pluviaeve tenebant
 festave lux, si forte labor cessabat aratri,
 horti opus illud erat. varias disponere plantas
 norat et occultae committere semina terrae 70

vicinosque apta cura submittere rivos.
 hic olus, hic late fundentes bracchia betae
 fecundusque rumex malvaeque inulaeque virebant,
 hic siser et nomen capiti debentia porra,
 [hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,] 75
 grataque nobilium requies lactuca ciborum,

. crescitque in acumina radix
 et gravis in latum dimissa cucurbita ventrem.
 verum hic non domini (quis enim contractior illo?),
 sed populi proventus erat, nonisque diebus 80
 venales umero fasces portabat in urbem:

inde domum cervice levis, gravis aere redibat,
 vix umquam urbani comitatus merce macelli.
 cepa rubens sectique famem domat area porri,
 quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu, 85
 intibaque et Venerem revocans eruca morantem.

Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.

ac primum leviter digitis tellure refossa
 quattuor educit cum spissis allia fibris;
 inde comas apii graciles rutamque rigentem 90
 vellit et exiguo coriandra trementia filo.

haec ubi collegit, laetum consedit ad ignem
 et clara famulam poscit mortaria voce.
 singula tum capitum nodoso cortice nudat
 et summis spoliat coriis contemptaque passim 95
 spargit humi atque abicit. servatum in germine bulbum

tinguit aqua lapidisque cavum dimittit in orbem.
his salis inspergit micas, sale durus adeso
